Version of June 2020. This PDF file is part of the new digital edition of Francisco Suárez's *Disputationes Metaphysicae* by Salvador Castellote (https://www.salvadorcastellote.com/investigacion.htm) and Michael Renemann (https://homepage.ruhr-uni-bochum.de/Michael.Renemann/suarez/).

# DISPUTATIO XVIII

## DE CAUSA PROXIMA EFFICIENTI EIUSQUE CAUSALITATE, ET OMNIBUS QUAE AD CAUSANDUM REQUIRIT

In superiori disputatione fere tantum declaravimus quid nominis causae efficientis, et plurium specierum ac modorum eius; nunc oportet distincte tractare omnia quae ad hanc causam pertinent, per ea capita seu membra quae in aliis causis attigimus, scilicet, quae res causet, quid causet, per quid seu quo principio causet, quas conditiones ad causandum requirat, ac denique in quo actualis causalitas huius causae consistat. Quae omnia possent quidem de causa efficienti in communi tractari; tamen, maioris claritatis gratia, visum est haec omnia prius in causis creatis, quae nobis notiores sunt, inquirere, postea vero disserere de causa prima et increata, ac tandem de dependentia caeterarum ab ipsa. Non distinguimus autem tractationem de causa efficienti substantiarum et accidentium, quoniam, ut videbimus, haec ita coniuncta sunt ut substantiarum productio non nisi mediis accidentibus fiat. Et eadem ratione non separamus disputationem de causa principali et instrumentali, quoniam tractando de causa proxima efficienti, cui per se et proprie actio tribuitur, simul videndum est quibus principiis quibusve instrumentis ad efficiendum utatur.

### *SECTIO PRIMA*

### *UTRUM RES CREATAE ALIQUID VERE EFFICIANT*

1. *Variae opiniones.— Aliacensis a praecedenti sententia alienus*.— In hac re fuit vetus sententia asserens res creatas nihil operari, sed Deum ad praesentiam earum omnia efficere, tribui autem actionem igni, aquae, etc., propter apparentiam, et quia Deus veluti pepigit non efficere tales effectus nisi ad talium rerum praesentiam. Hanc opinionem referunt Averroes, IX Metaph., comm. 7, et lib. XII, comm. 18; et Albertus, II Phys., tract. II, c. 3; et D. Thom., III cont. Gent., c. 69, et I, q. 105, a. 5, et In II, dist. 1, q. 1, a. 4; nullum tamen certum auctorem pro ea referunt; in eam vero inclinare videtur Philo, lib. II Allegor., dum ait *Deum esse unicam causam efficientem*; et lib. de Cherub. et flam. glad., dum ait *proprium esse Dei efficere, creaturae autem pati*. Sed haec facile possent per antonomasiam intelligi, sicut et aliae philosophorum locutiones, quas postea referemus, agentes de actione Dei. Solet etiam haec opinio tribui Petro Aliacensi, In IV, dist. 1, a. 1, in fine; ibi tamen aperte fatetur causas secundas vere ac proprie agere virtute propria et ex natura rei, ac non sola voluntate Dei; addit tamen simul verum esse creaturam nihil facere nisi ex voluntate Dei, et ipso etiam faciente, immo et faciente ut ipsa faciat, et consequenter plus etiam Deo faciente quam si solus faceret, quae pertinent ad necessitatem divini concursus et possunt verum et falsum sensum habere, ut postea in propria disputatione videbimus; magis autem favet huic opinioni Gabr., In IV, dist. 1, q. 1, a. 3, dub. 3, ubi hanc sententiam reputat probabilem et in favorem eius affert illa verba I Cor., 13: *Deus operatur omnia in omnibus*; et II Cor., 3: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. Ipse tamen non audet illam sententiam asserere.

2. *Rationes praecedentis sententiae*.— Fundamentum pro hac sententia nullum video quod sit alicuius momenti; praecipuum tamen fuisse videtur, quia quantum efficientiae tribuitur creaturae, tantum adimitur divinae potentiae creatoris; nam vel Deus operatur omnia, vel non; hoc posterius derogat divinae efficaciae; unde infra ostendemus esse omnino falsum et erroneum, quia implicat aliquid esse et non pendere a Deo. Si autem Deus omnia efficit, interrogo rursus an immediate et sufficienti virtute, an mediate tantum et insufficienti virtute. Hoc posterius derogat divinae perfectioni. Si autem primum verum est, superflua est omnis alia efficientia, quia una causa sufficiens et efficax satis est ad effectum. Unde, cum *natura nihil faciat frustra*, nullam virtutem operandi contulit rebus creatis. Et confirmo, nam quidquid ponatur Deus facere cum causa secunda, poterit facere se solo, nam hoc saltem spectat ad infinitam virtutem eius, ut infra patebit; ergo de facto ita facit. Patet consequentia, tum quia hoc magis decet divinam virtutem et efficaciam, tum maxime quia hoc videtur necessarium ut creatura fiat. Quod ita probo, nam creatura a solo Deo habet essentialem

dependentiam, cum sine illo fieri non possit et sine quocumque alio fieri possit; ergo non potest esse creatura sine hac essentiali dependentia, quam a solo Deo habet, quia non potest esse sine his quae essentialia sunt; ergo omnis creatura est per dependentiam a solo Deo; ergo est per efficientiam solius Dei, nam efficientia et dependentia vel sunt idem, vel sunt correlativa; ergo nulla creatura habet efficientiam in aliam, et consequenter nulla est causa secunda quae aliquid efficiat.

3. *Secunda sententia*.— Secunda sententia negat creaturas corporales posse quidquam efficere, sed de spiritualibus id concedit. Hanc refert D. Thomas citatis locis ex Avicebron, in lib. Fontis vitae, qui dicebat nullum corpus esse activum, sed quamdam virtutem spiritualis substantiae intime existentem in corporibus efficere omnes actiones quae per corpora fieri videntur. Fundamentum eius fuisse videtur quia agens esse debet intime praesens passo; corpora autem non possunt ita sibi esse praesentia, nam quantitas impedit illum intimum illapsum unius rei in aliam, quem actio requirit. Unde aiebat quantitatem non solum non esse activam, verum etiam actionem impedire; et confirmatur, quia substantia corporea est infima omnium et dissimillima primo agenti, et ideo nec inferiorem habet substantiam sibi subiectum, in quam possit agere, nec similitudinem potest habere ad Deum in agendo. Quare August., V de Civitat., c. 9, expresse dicit *corporales causas non esse inter causas efficientes numerandas*.

4. *Tertia sententia*.— Tertia sententia fuit res corporeas posse efficere accidentia, non tamen substantias, spirituales autem substantias creatas posse efficere aliquas inferiores substantias. Hanc refert ibidem D. Thomas, ex Avicenna, lib. I Sufficient., c. 10, et lib. IX suae Metaph., c. 4 et 5, qui in ea re videtur duos errores habuisse. Unus est quod una substantia creata spiritualis potest creare aliam, nam prima causa increata solam unam intelligentiam eamque perfectissimam immediate efficit, illa vero creat secundam, et secunda tertiam, et sic usque ad infimam. Alter error asserit hanc infimam substantiam spiritualem infundere substantiales formas in materiam dispositam a proximis agentibus corporalibus, quae substantiales formas efficere non sufficiunt. Fundamentum eius quoad priorem partem fuit quia ab uno non est nisi unum proxime et immediate. Quoad posteriorem vero, quae ad rem praesentem magis spectat, quia haec agentia corporalia nihil agunt nisi mediis accidentibus, quae sunt insufficientia principia ad efficiendas formas substantiales. Et confirmat hoc quia experimento constat multas substantias generari, quae non habent proximas causas sufficientes ad introducendas tales formas, ut cum generantur animalia ex putrefactione ob dispositiones accidentales, quae casu seu fortuito concurrunt; ergo signum est esse quasi paratam aliquam spiritualem virtutem superiorem ad inducendas formas substantiales, quoties dispositiones accidentales sufficienter concurrunt; ergo ab illa virtute fiunt omnes generationes substantiales.

*Prima assertio de efficientia causarum creatarum*

5. Dicendum tamen est primo agentia creata vere ac proprie efficere effectus sibi connaturales et proportionatos. Quam veritatem non tantum sensu et ratione existimo esse evidentissimam, sed etiam iuxta doctrinam Catholicam certissimam. Unde, sicut ob priorem causam oppositam sententiam D. Thomas stultam appellavit, ob posteriorem vocare possumus temerariam et erroneam; ideoque merito reiicitur ab omnibus philosophis et theologis; Aristoteles enim, quamvis nunquam oppositam sententiam expresse retulerit aut refutaverit, tamen ubique ut evidentissimum supponit naturales causas aliquid facere. Immo omnes antiqui philosophi, quorum opiniones ipse refert I Phys. et I Metaph., et alibi, saepe supponunt causas naturales aliquid efficere; et ideo laborarunt in explicando quid et ex quo facere possint, cum ex nihilo nihil fiat. Plato etiam, quem superiori disputatione ex Damasceno citavi, hoc sensu vocat causas naturales instrumenta primae causae, quia virtutem habent agendi ab illa derivatam et dependentem. Quo sensu dixit etiam Trismegistus[1] mundum esse instrumentum Dei et ab eo semina accepisse ut omnia producat.

[1] In dial. IX, et in Primand, c. 16, in fin.

Et eodem modo Philo, lib. de Congress. quaerendae eruditionis causa, dixit Deum huic infimo generi rerum permisisse seminare atque gignere. Quos philosophos secuti sunt Commentator et alii posteriores. Ex Patribus vero, Augustinus, lib. III de Trinit., c. 7, 8 et 9, videtur in modo loquendi dictos philosophos imitatus dum ait indidisse *Deum elementis et aliis causis creatis seminales rerum rationes*. Quae nihil aliud sunt quam principia activa et passiva generationum et motuum naturalium, quae Deus posuit in rebus creatis, ut eleganter exposuit D. Thomas, I, q. 115, a. 2, et In 86 II, dist. 18, q. 1, a. 2; ubi Durandus, Hervaeus, Aegid. et alii; et Capreol., In I, dist. 42, a. 3. Rursus idem Augustinus, VII de Civ., c. 30, de Deo loquens, ait: *Sic omnia, quae creavit, administrat ut etiam ipse proprios exercere et agere motus sinat*. Quam sententiam confirmant et celebrant scholastici omnes, ubicumque vel de causarum efficientia vel de hominis libertate disputant, qui videri possunt citatis locis, et In II, dist. 1, ubi praesertim Durand., q. 5.

6. *Experimento probatur assertio.— Absurda ex opposita conclusione.*— Et probatur primo experientia; quid enim sensu notius quam quod sol illuminet, ignis calefaciat, aqua refrigeret? Quod si dicant experiri quidem nos fieri hos effectus praesentibus his rebus, non tamen fieri ab illis, plane destruunt omnem vim philosophicae argumentationis, quia nos non possumus aliter experiri dimanationem effectuum ex causis aut ex effectibus causas colligere. Et huic experientiae attestatur communis consensus et vox omnium, qui ita de rebus his sentiunt. Secundo, argumentor ab incommodis, nam iuxta illam sententiam non possunt viventia a non viventibus distingui, quia non magis haberent res quaedam principium suarum actionum quam aliae. Deinde frustra natura dedisset diversis rebus varias qualitates et virtutes quas in eis experimur. Immo neque ex actione possemus huiusmodi qualitatum varietatem in elementis colligere, et consequenter neque in aliis rebus. Nam, si ignis non calefacit, sed Deus ad praesentiam ignis, aeque naturaliter posset calefacere ad praesentiam aquae; ergo ex illa actione non possumus magis colligere ignem esse calidum quam aquam. Si enim Deus aeque consentanee ad rerum naturas potuit pacisci de calefaciendo ad praesentiam aquae, ponamus id fecisse, tunc non liceret ex calefactione colligere aquam esse calidam; ergo nec nunc possumus inferre esse frigidam aut ignem calidum.

7. Dicere potest aliquis pactum illud non fuisse omnino arbitrarium, sed fundatum aliquo modo in naturis rerum, non quia illae activae sint, sed quia habent qualitates similes producendis; et ita colligimus ignem esse calidum, eo quod Deus calefacit ad praesentiam eius, quia hoc pactum fundatum fuit in tali qualitate ignis. Sed hoc non potest philosophice dici, tum quia eadem ratione iuxta naturas rerum debuisset Deus producere albedinem ad praesentiam albedinis, quia si ex se non est magis activa qualitas calor quam albedo, ergo ex natura rei non est magis debitum pactum illud calori quam albedini. Et idem argumentum fieri potest de quacumque alia qualitate, immo et de quantitate, et de substantia, et de quacumque re. Tum etiam quia illud non habet locum in causis aequivocis, in quibus non est similis forma vel qualitas, neque est necessario eminentior, si illae nihil sunt acturae. Praeterea, iuxta illam sententiam superfluae sunt terrae dispositiones, pluviae, orationes, caelorum motus, etc., si haec omnia nihil agunt; sed sufficeret adesse triticum, ut Deus ad praesentiam eius triticum generaret, et sic de rebus aliis. Praeterea fit simile argumentum ex variis organis et instrumentis quibus Deus composuit corpora, praesertim viventia; nam, sicut quaedam ex ipsa dispositione apparent apta ad recipiendum, ita etiam alia sunt ad agendum, quae omnia essent superflua, si hae res nihil agerent. Denique hac de causa optime dixit Aristoteles, II de Caelo, c. 3, et I Ethic., c. 7, *omnia esse propter suam operationem*, quare nihil magis repugnat institutioni rerum et fini earum quam omni efficientia carere. Praeterea, si res creatae nihil agerent inter se, ex natura rei omnes essent aeque incorruptibiles, quia ab agente creato nihil pati possent; frustra ergo Deus tot motus caelorum tantamque causarum multitudinem ordinasset ut hae rerum inferiorum species per generationum et corruptionum successionem diu conservarentur; facilius enim permanerent perpetuo eaedem res a principio creatae si Deus ipse nihil corrumperet, quia res ipsae inter se non secum pugnarent nec se corrumperent. Similia multa incommoda possunt facile excogitari, ex quibus intelligitur totum naturae ordinem contra illam sententiam pugnare.

8. *Ratio a priori conclusionis.*— Tertio est ratio a priori, quia habere vim agendi non repugnat rebus creatis, sed potius est maxime consentaneum perfectioni earum; ergo, cum

Deus condiderit unamquamque rem in natura sua perfectam, negandum non est tales creasse res quae habeant connaturalem virtutem agendi. Antecedens probatur, quia non omnis virtus agendi requirit perfectionem infinitam; ergo sufficiet virtus finita creaturae ut efficacitatem aliquam habere possit. Antecedens patet, quia nulla probabilis ratio persuadet necessitatem infinitae perfectionis ad omnem actionem. Quin potius, ut infra videbimus, multum laborarunt theologi ut rationem invenirent quae probet ad creandum requiri infinitam virtutem; ad alias ergo actiones et mutationes non requiritur talis virtus, praesertim in his agentibus quae non agunt absque dependentia a superiori.

9. *Occurritur obiectioni*.— Dices in hoc ipso reperiri repugnantiam, scilicet, quod sit agens et dependens in agendo a superiori agente, et ideo requiri infinitam virtutem in omni agente, quia, si agit, sola sua virtute agit et absque dependentia ab alio. Quae obiectio tangit fundamentum contrariae sententiae, de quo dicendum est late infra tractando de necessitate divini concursus; nunc respondetur breviter negando assumptum; sicut enim non repugnat esse et dependenter ab alio esse, ita non repugnat agere et dependenter ab alio agere. Cur enim? An quia repugnat eamdem actionem simul esse a pluribus causis totalibus? At hoc falsum est, si illae causae sint diversorum ordinum et essentialiter subordinatae. Quocirca, tantum abest ut haec efficientia causarum secundarum deroget divinae efficacitati vel auctoritati ut potius illam maxime commendet et declaret. Nam, ut D. Thomas supra argumentatur, ita communicavit Deus suam creatis rebus bonitatem ut eis etiam dederit inclinationem et vim ad communicandum aliis id quod de bonitate ipsius Dei participant, unicuique impertiendo iuxta capacitatem suam. Quia, ut ad hoc propositum dixit Plato, in dialog. de Natur., *bonus est Deus et livore non tangitur neque ulli invidet*; et ideo omnia fecit bona sibique similia in appetitu se communicandi iuxta captum suum. Unde quaedam se materialiter communicant, alia formaliter; non ergo repugnat quod etiam efficienter se communicent.

10. *An Deus plus agat efficiens cum causis secundis quam si solus*.— Igitur, quod Aliacus supra dicebat, plus, scilicet, agere Deum efficiendo cum causis secundis quam si se solo omnia efficeret, praesuppositive (ut ita dicam) verum est, formaliter autem falsum; id est, si causa secunda aliquid efficit, supponitur Deus et effecisse ipsam causam secundam et communicasse illi perfectionem activam, in quo suam potentiam magis ostendit, et deinde agit cum causa secunda quidquid ipsa agit; et ita praesuppositive plus agit. At vero per ipsammet actionem, qua cum ipsa causa secunda agit, non plus neque aequaliter agit quam si se solo ageret, quia non applicat totam efficaciam necessariam ut solus agat. Unde in tali modo agendi, quamvis agat sufficienti virtute in ratione causae primae, non tamen sufficienti in omni genere. Neque hoc est imperfectionis in Deo, quia non est ex indigentia aut impotentia eius, sed ex voluntaria et prudentissima applicatione virtutis suae. Quo sensu verum est etiam quod Aliacus aiebat, nempe causas secundas nihil agere nisi ex voluntate Dei; requirunt enim, ut infra dicemus, concursum Dei, quem Deus non necessitate, sed voluntate praebet; illa tamen voluntas non est omnino absoluta (seclusis miraculis), sed est accommodata naturis rerum et quasi ex quodam debito iustae distributionis; et ideo hoc voluntarium non impedit quominus huiusmodi efficientia sit simpliciter naturalis rebus creatis. Sicut etiam ex voluntate Dei habent ipsam virtutem agendi, non tamen ex voluntate omnino superaddita et quasi mere gratis adiuncta voluntati qua vult tales creaturas esse, sed sunt connexae hae voluntates iuxta naturale debitum et connexionem ipsarum rerum. Unde, quod voluerit Deus ignem calefacere et aquam frigefacere non est mere voluntarium, sed suo modo debitum, ex suppositione quod voluerit tales res creare. Loquimur autem de vi agendi connaturali, nam de supernaturali et infusa alia est ratio, quae ad nos non spectat. Atque ita simul probata est conclusio posita et solutum fundamentum prioris sententiae.

11. Quod vero in confirmatione tangitur de essentiali dependentia infra in disputatione de creatione ex professo tractandum est; nunc solum dico committi aequivocationem in illa propositione: *creatura essentialiter pendet a solo Deo*; potest enim intelligi illa propositio positive et negative; positive intellecta reddit hunc sensum: *creatura*

*essentialiter postulat pendere a solo Deo*; et hoc non est verum, in universum loquendo, licet fortasse de aliqua actione vel de aliqua re ob specialem conditionem id possit verificari, quod spectat ad speciales quaestiones de creatione, vel de gratia, etc. Negative autem intellecta, sensus illius est quod ratio creaturae, ut sic, non postulat essentialiter dependentiam nisi a Deo. Et hoc est verum, quia ex vi huius non excluditur quin de facto vel secundum aliquem modum productionis possit habere dependentiam a Deo et ab aliqua creatura, ut per se constat.

*Ex principiis supernaturalibus eadem assertio tractatur*

12. Hactenus tractata est philosophice conclusio posita; quia vero diximus etiam habere certitudinem iuxta fidei doctrinam, pauca de hac parte adiungere necesse est. Colligitur ergo haec certitudo, primo ex modo loquendi divinae Scripturae, Gen., 1: *Germinet terra herbam virentem; et producat terra animam viventem*; ubi Basil., homil. 9, annotat ex vi horum et similium verborum accepisse res naturales efficaciam continuo efficiendi rerum generationes et corruptiones; quod latius prosequitur Ambros., lib. III Hexam., a c. 8, et lib. V et VI, fere per totos. Unde, Marci 4, ait Christus: *Aliud cecidit in terram bonam, et dabat fructum, etc.*; et infra: *Ultro terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum*; et Lucae 21: *Arbores cum producunt iam ex se fructum,* etc.; et Sap. 16 miraculo tribuitur quod ignis, suae virtutis oblitus, iustos et indumenta eorum non consumpserit; et ibi tribuitur aquae quod omnia extinguat, et draconibus quod venenatos habeant dentes ad occidendum, et divinae potestati tribuitur, si interdum ab his actionibus impediuntur. Praeterea sunt aliae veritates fidei quae sine hoc principio subsistere non possunt. Prima ac praecipua est veritas liberi arbitrii, quod nonnisi in vi et modo agendi consistere potest, ut infra ostendemus. Unde Concilium Tridentinum, sess. VI, can. 4, damnat dicentes liberum arbitrium creatum nihil omnino agere, mereque passive se habere. Qua definitione plane damnat primam sententiam supra relatam et nostram conclusionem definit. Et (quod a fortiori rem convincit) non solum in naturalibus operationibus, sed etiam in supernaturalibus, seu gratiae operibus liberis, vult Concilium habere efficientiam humanam voluntatem. Ex quo obiter intelliguntur illa testimonia quae Gabriel in contrarium afferebat, in quibus specialiter sermo est de operibus gratiae, quae ita tribuuntur Deo ut primariae causae, ut non excludatur cooperatio nostra. Nam in eodem loco ait Paulus, et nos non esse sufficientes ex nobis, et sufficientiam nostram ex Deo esse. Et qui in uno loco ait Deum operari in nobis, in aliis ait cooperari nobiscum et nos esse cooperatores gratiae Dei.

13. Nec minorem efficaciam habet ratio quae ex efficientia actus peccati desumitur; nam si causa secunda non efficit, sed Deus ad praesentiam eius, nos non facimus volitiones malas, sed Deus solus eas nobis infundit ad praesentiam obiectorum, quod est blasphemum et erroneum, non solum quia tunc non libere peccaremus, sed etiam quia tunc non a nobis, sed a Deo peccaremus. Praeterea sumitur optima ratio theologica ex definitionibus Conciliorum circa Incarnationis mysterium, quibus docent esse in Christo duas operationes duoque operandi principia seu operatrices virtutes, de quibus legi potest Damascen., III lib. de Fid., c. 15. Quae omnia et similia vera esse non possunt, si in natura creata nulla vis est agendi. Tandem ex creatione animae rationalis nascitur optimum argumentum, quia iuxta contrariam opinionem non minus verum est hominem generantem creare animam rationalem quam ignem generare ignem; quia, sicut Deus ad praesentiam ignis facit ignem et actio tribuitur igni solum quia est conditio sine qua non, et qua posita Deus infallibiliter facit, ita Deus ad praesentiam humani seminis creat animam infallibiliter, et non sine illa conditione. Consequens autem est error in fide.

*Secunda assertio*

14. *Augustinus quam efficientiam neget corporibus*.— Dico secundo: non solum substantiae incorporeae, sed etiam corporeae habere possunt physicam et veram efficientiam. Haec sequitur ex praecedenti eadem fere demonstratione et certitudine; nam experientiae, rationes et testimonia adducta, tam de causis naturalibus et materialibus, quam de immaterialibus procedunt. Immo, si de efficientia per actionem transeuntem sermo sit, notius et evidentius nobis est corpora agere quam incorporeas substantias. Quare nihil in huius conclusionis confirmationem addere oportet. Neque fundamentum contrariae sententiae

ullius est momenti, quia, ut unum corpus agat in aliud, non est necesse ut penetrative sit simul cum illo in eodem loco, sed satis est quod sint sufficienter propinqua, ut ipsa experientia ostendit et inferius latius declarandum est. Quocirca, quamvis quantitas non sit activa, non tamen omnino impedit actionem, sicut materia etiam non est activa, non tamen impedit actionem formae. Ita enim videtur quantitas ad qualitates comparari, sicut materia ad formam. Unde neutra impedit, sed potius confert suo modo ad actionem, si non agendo, saltem sustentando et connaturali modo applicando principium agendi. Ad confirmationem autem respondetur substantiam corpoream secundum se totam non esse in infimo ordine neque summe distare a Deo, sed solum secundum materiam primam, et ideo de illa fatemur nullam habere propriam vim agendi; at vero secundum formam habent corpora maiorem perfectionem et similitudinem ad Deum; et ideo secundum illam habere possunt vim efficiendi. Augustinus autem in citatis verbis loquitur de causis efficientibus quae se aliquo modo agunt, id est, quae dominium habent suarum actionum et sese possunt applicare ad agendum. Sic enim ait: *Corporales causae, quae magis fiunt quam faciunt, non sunt inter causas efficientes numerandae, quoniam hoc possunt quod ex ipsis faciunt spirituum voluntates*.

*Tertia assertio*

15. Dico tertio: quamvis causae creatae non possint efficere substantiam secundum se totam seu per se primo, possunt tamen ex substantiali materia praesupposita substantiam generare educendo substantialem formam. Haec autem efficacitas corporalibus potius causis quam spiritibus creatis tribuenda est. Prima pars huius assertionis est certissima, quia causae creatae non possunt aliquid creare, ut agentes de creatione ostendemus; substantia autem per se primo ac secundum se totam, non potest fieri nisi per creationem; non enim potest fieri ex praesupposito subiecto, quia toti substantiae nullum subiectum supponitur, cum sit ens per se completum; ergo necessario fieri debet ex nihilo, atque adeo per creationem. Et hinc est quod substantia spiritualis creata non potest aliam sibi similem, vel in specie vel in gradu, procreare, quia talis substantia, cum sit simplex in essentia, non potest nisi per creationem fieri. Et eadem ratione materialis substantia quoad materiam non potest effici a causa creata, sive incorporea sive corporea; et hoc sensu dicimus substantiam secundum se totam ac per se primo, id est, quoad totam entitatem et nihil substantiae supponendo, non posse effici a causa creata; sed de hac re plura in sequentibus dicenda sunt.

16. *Formae substantiales a corporeis suppositis fiunt*.— Secunda vero pars conclusionis de eductione formae substantialis per propriam efficientiam causarum secundarum non est tam evidens et certa sicut sunt superiores de efficientia absolute, quia effectio huius formae minus sensibilis est, ideoque minus nota nobis quam efficientia accidentium, et quia in hac efficientia explicanda non parva est difficultas, ut sectione sequenti videbimus. Nihilominus est haec pars probabilior, praesertim absolute sumpta et non descendendo ad particulares modos explicandi hanc efficientiam. Et probatur primo, quia, sicut videmus ignem calefacere, ita et generare ignem, et solem producere mineralia, et terram actione etiam solis germinare herbam, etc. Secundo, quia cum hae res non fiant per creationem, sed per generationem, neque ex parte rei factae neque ex modo quo fit requiritur virtus infinita ad earum effectionem; ergo talis virtus non excedit capacitatem causarum creatarum; ergo est illis communicata a prima causa estque illis connaturalis. Sed de hac parte plura in sectione sequenti; non enim potest exacte probari et defendi nisi prius modus huius efficientiae declaretur.

17. *Spirituales substantiae formas substantiales efficere nequeunt*.— Tertia vero pars conclusionis, nimirum, quod haec efficientia non sit spiritibus creatis tribuenda, ex eo patet quod sunt improportionati ad huiusmodi actionem; causae autem corporales sunt magis proportionatae et accommodatae. Inter res autem creatas non satis est quod aliqua sit magis perfecta ut possit efficere minus perfectam, nisi aliunde constet eam eminenter continere; spiritus autem creati, licet sint perfectiores quam corpora, tamen cum sint limitati ad proprium gradum et singuli ad proprias significandas perfectiones, non continent eminenter

res corporeas, et cum non sint formae in materia, sed omnino abstractae, improportionatae sunt ad formas in materiam inducendas; de qua item re dicemus plura infra, tractando de intelligentiis creatis, ubi ostendemus eas nec substantiales formas, nec qualitates posse in corporibus efficere; neque enim possunt ad nutum suae voluntatis corpora alterare. Quod si hoc non possunt, multo minus poterunt in materiam formam substantialem inducere; nam qui virtutem non habet disponendi materiam, multo minus habere potest vim eam informandi. Agentia vero corporalia, cum possint materiam alterare ac disponere, magis proportionata sunt ut eam possint informare, vel educendo ex ea vel in eam introducendo substantialem formam, iuxta formae capacitatem et qualitatem.

18. Ad fundamentum ergo Avicennae quoad priorem negamus a prima causa solam unam intelligentiam vel unum effectum potuisse prodire, quia prima causa non agit naturae necessitate ut ad unum effectum sit determinata, sed est intellectuale agens, habens in se infinitarum rerum exemplaria, quarum effectionem sua voluntate et arbitrio definit. Fundamentum autem secundi erroris postulat difficultatem ad sequentem sectionem pertinentem.

## *SECTIO II*

## *QUODNAM SIT PRINCIPIUM QUO SUBSTANTIA CREATA EFFICIT ALIAM*

1. *Materia nullius actionis principium quo.*— Simul quaerimus de principio principali et proximo seu instrumentali, quia unum sine altero satis explicari non potest. Constat autem primo ex dictis sermonem tantum esse de corporali causa, quia creati spiritus nullam substantiam efficere possunt, ut dictum est. Rursus cum in substantia creata sint materia, forma et accidentia, constat secundo apud omnes materiam non esse principium huius effectionis; principium (inquam) quo seu formale; nam principium quod suppositum est, sicut in caeteris actionibus; suppositum autem materiale, licet constet materia et forma et subsistentia, ac praeterea habeat accidentia, tamen vim agendi non habet a materia, quae activa non est, ut saepe diximus. Subsistentiae autem mentionem non facimus, quia illa solum est modus quidam et terminus naturae, praecedens quidem naturaliter omnem actionem, non tamen per se conferens vim ad agendum, ut latius infra tractando de subsistentia dicemus. Tota ergo controversia ad formam substantialem et eius accidentia seu naturales proprietates revocatur.

2. *Nullum accidens principalis causa substantiae.*— De quibus constat tertio formam accidentalem non posse esse principium principale producendi substantiam, in quo omnes fere conveniunt. Solet enim in contrarium citari Maior, In IV, dist. 12, sed non contradicit, neque ullus alius, quem ego viderim. Nec potest esse ulla dubitandi ratio, quia causa principalis, ut ostendimus, esse debet vel nobilior vel certe non ignobilior effectu; cum enim nemo det quod non habet, quomodo potest forma imperfecta habere in se vel communicare suo supposito principalem vim efficiendi perfectiorem formam, quam nec formaliter neque eminenter continere potest? Est autem accidentalis forma imperfectior substantiali; ergo non potest esse principium principale educendi illam. Atque hoc evidentius constabit ex dicendis, tum pertractando primam sententiam, tum etiam ultimam nostram assertionem confirmando.

3. *Forma substantialis est principium principale quo efficiens agit.*— Ex hoc ulterius fit, si in materiali substantia est aliquod principium quo principale ad efficiendum substantiam, illud esse non posse nisi substantialem formam; facta enim enumeratione nihil aliud superest. Atque hoc communi etiam omnium consensu videtur esse receptum, quia, cum forma sit principalis actus suppositi et quae principaliter dat esse, illa etiam esse debet principale principium operandi, cum operatio sequatur esse. Denique quia forma substantialis non potest esse principium instrumentale; ergo erit principium principale. Patet consequentia, quia neque datur medium neque potest forma omnino excludi a ratione principii, cum sit fons totius esse omniumque proprietatum. Antecedens autem patet, quia forma substantialis non supponit aliam, cuius possit ipsa esse instrumentum, cum ipsa sit omnium prima ac praecipua; loquor autem intra idem suppositum; nam si una forma inferior ad superiorem comparetur, poterit dici instrumentum illius, ut in superioribus tactum est et in

sequentibus attingemus. Atque hinc etiam omnes fere habent pro comperto accidentia esse instrumenta formae substantialis ad producendam substantiam, quia forma substantialis non se sola et immediate producit substantiam similem, sed accidentibus utens, ut experimento videtur constare et probat argumentum pro Avicenna factum superiori sectione.

4. His ergo positis, duo explicanda supersunt: primum, quomodo accidens sit instrumentum ad producendam substantiam. Secundum, quomodo forma substantialis sit principium principale ad educendam similem formam. Unde duae sunt difficultates praecipuae: prima est an accidens ita sit instrumentum ut immediate attingat eductionem ipsius formae substantialis, an vero dicatur instrumentum solum quia dispositive operatur ad inductionem formae substantialis, qui est effectus praecipue intentus a principali agente. Secunda est, supposito quod accidens immediate attingat, an cum illo proxime etiam influat substantialis forma vel tantum remote et quasi radicaliter.

*Prima sententia circa efficientiam accidentium in substantiam*

5. Circa primum est prima sententia, accidentia solum esse instrumenta hoc posteriori modo, id est, tantum dispositive concurrendo, quod potest intelligi vel de accidentibus quae recipiuntur in passo et sunt ipsae formales dispositiones materiae, quo modo id videtur intellexisse Philoponus, II Phys., text. 27, et ideo haec instrumenta revocat ad materialem causam. In quo et contra Aristotelem loquitur et contra rationem. Aristoteles enim semen et similia instrumenta ad efficientem causam reducit, et merito, quia instrumentum non dicitur nisi quod per aliquam actionem influit in effectum; et ideo nullius causae proprie instrumenta dicuntur nisi efficientis. Aliter ergo intelligendum est de accidentibus quae sunt in ipso agente et sunt facultates per quas proxime operatur, et effective inducit dispositiones in passum, per quas paulatim praeparat materiam, donec proxime fiat capax formae substantialis; et hoc modo sunt instrumenta ad inducendam formam substantialem, non quia ipsam immediate attingant aut efficiant, sistit enim ac terminatur eorum actio in effectione accidentium sibi perfecte similium; sed quia ut subordinata sunt propriae formae, eorum actio tendit ad productionem similis formae substantialis. Hanc opinionem tenuit Scotus, In I, dist. 37, et In II, dist. 17, et latius In IV, dist.. 12, q. 3, quam sequitur Ocham, In II, q. 23. Fundamentum praecipuum est, quia non potest accidens, cum sit ens imperfectius forma substantiali, efficere ullo modo illam. Respondent aliqui, licet accidens sit imperfectius in ratione entis, nihilominus in ratione principii activi esse posse aptius, atque eo sensu dici posse perfectius in agendo. Sed hoc non recte dicitur, quia vis agendi, praesertim in accidente, non est aliud ab entitate eius; vel si aliquo modo, saltem ratione, distinguatur, consequitur illam et commensuratur illi; ergo non potest accidens nobilius esse in agendo quam sit in essendo. Alias sub eadem distinctione posset quis dicere accidens esse principale principium producendi substantiam, quia, licet non sit nobilius in esse, potest esse nobilius in actione, quod est absurdum. Praeterea, nunquam ex nobilitate actionis possemus colligere nobilitatem efficientis causae quoad eius esse. Et (ut argumentatur Scotus) de Deo ipso posset quis dicere esse nobiliorem in actione, quamvis non sit in esse.

6. *Frequentior thomistarum responsio examinatur.*— Frequentior ergo responsio est accidens, etsi sit ignobilius et ideo virtute propria non possit attingere productionem substantiae, tamen in virtute suae formae substantialis, cuius est proprietas et virtus agendi, posse illius eductionem immediate attingere. Sed instat Scotus inquirendo quid sit illa virtus, in cuius vi et efficacitate dicitur accidens attingere. Aut enim est aliquid ab accidente distinctum vel non. Si non distingitur, ergo non magis potest in virtute illius fieri substantia quam in virtute accidentis. Si vero distinguitur, vel est accidens vel substantia; si accidens, idem procedit argumentum, sive illud dicatur esse absolutum sive respectivum; immo multo minus activum erit si sit respectivum quam si absolutum. Si vero sit substantia, non erit alia nisi forma substantialis; atque ita potius forma ipsa erit virtus agendi et principium quo

accidens attingit eductionem formae accidentalis[2], quam e converso. Respondent communiter thomistae, ex Caietano, I, q. 53, a. 3, et q. 77, a. 1, cum dicitur accidens in virtute substantiae facere substantiam, illud *in virtute* non esse transitive sumendum, sed intransitive, quia non est sensus aliquam virtutem addi accidenti qua producat substantiam, sed accidens per entitatem suam, eo quod ipsa est quaedam virtus substantiae, posse attingere substantiam. Sed haec responsio non videtur enervare vim argumenti, quia cum calor natura sua sit virtus et facultas substantiae, cum dicitur agere in virtute substantiae nihil aliud dicitur quam quod calor natura sua habet talem activitatem; hoc autem videtur naturaliter repugnare, nam forma ignobilis non potest esse naturalis virtus sufficiens ad producendam formam meliorem.

7. Et, ne videamur in vocibus sistere, ut explicetur difficultas quae in re ipsa est, inquiro an actio illa qua educitur forma substantialis de potentia materiae, immediate prodeat a solo calore, verbi gratia, a forma vero substantiali non nisi remote et radicaliter, quatenus ab illa manat calor; vel sit actio immediate ab utraque forma, ab una ut a principali et ab altera ut instrumentali. Si hic posterior sensus asseratur, cessat quidem difficultas in argumento tacta; nam hoc modo nullum est inconveniens formam imperfectiorem instrumentarie concurrere ad effectum perfectiorem; et tunc optime exponitur illud *in virtute*, significat enim, id est, adiutum a superiori virtute actu influere. Sed tunc insurgunt aliae difficultates non minus graves. Prima, quia experientiae quae probare videntur accidentia attingere effectionem substantiae, probant accidentia sola id efficere, quia vel substantia non est, ut cum accidentia vini consecrati generant vinum; et idem argumentum, licet minus efficax, fieri solet de ferro candente generante ignem. Vel certe, quia substantia non est applicata, ut in sole inducente formas substantiales rerum mineralium in visceribus terrae, a quibus longissime distat. Secunda, quia iuxta illam interpretationem iam ponitur forma substantialis principium immediatum alicuius actionis, quod superat perfectionem eius. Nam, quia ad hoc est improportionata, ideo recepit a natura formas accidentales, per quas agat. Unde oritur tertium argumentum, quod Scotus et Ocham indicarunt; nam si hic influxus immediatus necessario concedendus est formae substantiali, superfluus est immediatus influxus formae accidentalis. Nam si generatio est univoca, forma substantialis, quae supponitur immediate influere, habet perfectionem et proportionem requisitam ut sit principium proximum sufficiens ad formam sibi similem producendam; cum enim calor sit hoc modo sufficiens ad efficiendum similem calorem, cur non erit forma substantialis ad similem formam, cum iam supponatur influxum immediatum ei non repugnare? Quod si generatio sit aequivoca, cum forma generantis sit eminentior, maiori ratione erit ad similem actionem sufficiens.

8. Quod si propter has difficultates prius membrum eligatur, prout videtur etiam frequentius receptum, manet imprimis in sua vi difficultas tacta, nam intelligi non potest quomodo instrumentum ignobilius se solo et per vim sibi connaturalem, absque consortio nobilioris agentis, efficiat effectum nobiliorem. Nam quod illud instrumentum sit virtus alterius, quid refert? Quia inde solum habet, vel quod sit decisum ab alio, sicut semen ab animali, et inde non crescit virtus, quae tanta est quanta est perfectio quam in se recipit, non quanta est perfectio eius a quo illam recipit; vel certe habet quod loco alterius substituatur ad agendum; ut gravitas loco generantis et hoc est quod mirabile et repugnans apparet, scilicet, quod natura substituat virtutem imperfectam ut se sola et sine actuali iuvamine superioris virtutis efficiat vice principalis agentis nobiliorem effectum. Et praeterea sunt aliae difficultates contra illum dicendi modum. Praecipua est quia sequitur formas substantiales nullam habere activitatem propriam, sed solum quasi per accidens concurrere ad omnem actionem. Nam si Deus, verbi gratia, solum produceret et conservaret calorem, et postea non immediate influeret in actionem progredientem a calore, non esset causa per se, sed per accidens illius actionis; ergo similiter si forma substantialis ita comparatur ad omnem actionem caloris, non potest vere dici principium per se efficiens actionis, sed vel ad summum dicetur principium principale remotum et per denominationem extrinsecam,

[2] formae accidentalis, 1960; *alit.* formae substantialis. “Con esta expresión, la siguiente frase ‘e converso’ no puede aplicarse a las palabras que inmediatamente le preceden.” Cf. BHF, v. III, p. 99.

scilicet, quia principium proximum agendi vicem illius habet, vel (ut verius dicam) impotentiam eius supplet; nam revera forma ipsa per sese nullam activitatem habet. Hoc autem videtur absurdum, alioqui substantia nunquam esset per se activa aut generativa sui similis, neque esset ulla actio a supposito substantiali creato nisi ratione accidentium; hoc autem repugnat perfectioni substantiae. Nam, ut argumentatur Scotus, In II, dist. 16, si aliqua forma accidentalis est immediate productiva sui similis, cur non erit etiam aliqua substantialis? Videtur etiam contra Aristot., II Phys., c 7; ibi enim triplicem causalitatem formae tribuit: formalem, finalem et efficientem; ergo, sicut prima et secunda proprie ac per se conveniunt formae, ita et tertia.

*Secunda sententia opposita circa activitatem accidentium in substantiam*

9. Secunda sententia affirmat accidentia ita esse instrumenta substantiae ad substantiam producendam ut proxime et per se attingant productionem substantialis formae in virtute aliarum formarum, quarum sunt instrumenta. Haec est sententia D. Thomae, I, q. 45, a. 8, ad 2 et 3, et q. 77, a. 1, ad 3 et 4, et q. 115, a. 1, ad 5; et III, q. 77, a. 3; Caiet. supra; Ferrar., IV cont. Gent., c. 66; et Capreoli, In I, dist. 3, q. 3, a. 2, et In IV, dist. 12, q. 1, a. 3; Aegid., Quodl. III, q. 1, ad 2, et in Hexaemer., p. II, c. 11; Henric., Quodl. XIV, q. 1; Hervaei, Quodl. III, q. 12. Et videtur haec esse communis Peripateticorum sententia. Aristoteles enim ubique significat naturalem actionem et generationem fieri mediis accidentibus; unde I de Generat., c. 7, ait actionem, utique corruptivam, inter contraria tantum esse; contrarietas autem proprie solum est inter qualitates; et lib. de Sensu et sensibili inquit nihil agere aut pati quatenus ignis aut aqua aut quidpiam simile est, *sed quatenus contrarietatem subit*, id est, quatenus contrariis qualitatibus afficitur. Ubi Alexander advertit iuxta Peripateticam sententiam, ignem non edere actionem quatenus ignis, sed quatenus calidus est, id est, non per formam ignis, sed per calorem. Item II de Anima, text. 10, et VII Metaph., text. 31, et lib. III de Generat. animal., docet Aristoteles semen esse instrumentum quo unum animal effective generat aliud. Commentator etiam, lib. VII Metaph., comm. 22 et 31, et XII Metaph., comm. 18, inquit eiusdem virtutis esse materiam praeparare et formam inducere; cum igitur constet substantiam uti accidentibus ad praeparandam materiam, dicendum est per eadem inducere formam.

10. *Rationes secundae sententiae*.— Rationes quibus haec sententia confirmatur hae sunt praecipue: prima, quia forma substantialis non est per se immediate activa, sed per potentiam quae sit qualitas ab ea distincta; ergo nec formam substantialem inducit nisi media potentia accidentali. Antecedens patet primo inductione; nam videmus unamquamque substantiam ad omnes alias actiones uti accidentibus, quod non solum de materialibus, sed etiam de spiritualibus substantiis creatis verum est; ergo signum est excedere perfectionem et limitationem substantiae creatae, esse simul principale et proximum principium suarum actionum. Item, quia forma substantialis per seipsam solum determinatur ad dandum formaliter esse; ad actiones vero est indeterminatum principium, quia fere semper potest plures actiones efficere, ad quas per accidentia determinatur; et ideo non est proximum principium actionis per seipsam, sed per accidentia; ergo idem dicendum est de actione qua producit substantiam.

11. Secunda ratio, quae confirmat ultimam illationem praecedentis, est quia actio, per quam educitur forma substantialis, non est proprie actio condistincta a motu alterationis, qui ad illam ordinatur ac tendit, sed est quasi terminus eius; et ideo non computantur quasi duae actiones, sed quasi una et eadem; sed tota alteratio quae ad generationem tendit, fit mediis accidentibus, ut per se constat; ergo et ipsa generatio substantialis fit mediis accidentibus. Maior patet, quia forma substantialis, quae educitur de potentia materiae mediante motu, resultat in materia ex vi ipsius motus; ergo eadem actione, physice loquendo, et mediante eodem instrumento fit. Et confirmatur, nam accidentia sunt instrumenta ad expellendam formam substantialem corrupti; ergo et ad efficiendam formam geniti.

12. Tertia ratio, quia actio propria solum fit inter contraria; ergo solum illud est principium proprium talis actionis quod proprie habet contrarium; huiusmodi autem est qualitas, et non substantialis forma; ergo.

13. *Variae experientiae pro secunda sententia.*— Quarto ac praecipue fundatur haec sententia in experientiis; nam saepe generantur substantiae mediis accidentibus quando nulla est forma substantialis a qua possit esse actio, quia vel longe abest vel omnino non est. Respondet Scotus quod forma interdum distet non obstare quominus in formae eductionem influat, quia potest vi et efficacia sua attingere loca distantia. Et hoc modo existimat formas rerum mineralium immediate educi a forma solis. Quando vero nulla invenitur forma proportionata vel applicata intra sphaeram suae activitatis, tunc ait formae eductionem immediate fieri a prima causa, ad quam spectat supplere defectus inferiorum agentium. Et hoc modo ait frequentius generari animalia, non solum ea quae ex putrefactione fiunt, sed etiam quae fiunt ex semine, in quo imperfecta est virtus et insufficiens ad educendam animam ex potentia materiae. Sed prior pars huius responsionis repugnat principio aristotelico, agens et patiens debere esse simul, de quo, paulo inferius. Posterior vero pars sapit opinionem Platonis, qui dicit formas substantiales induci ab ideis separatis; nam si verum est Platonem non posuisse ideas nisi in mente divina, perinde fuit ac dicere formas substantiales effici a prima causa. Quod etiam docuit Philoponus, I Phys., in fine, ubi ait formas substantiales provenire ab universali naturae artifice. Themist. vero, lib. suo I de Anima, c. 24, et lib. III, c. 52, dicit provenire ab anima mundi. Avicenna. vero, ut supra citavimus, dicit provenire ab infima intelligentia. A quibus differt Scotus, quod non omnes formas, sed plures et perfectiores etiam materiales dicit fieri ab agente separato, quod etiam videtur maius inconveniens; nam cum hae omnes formae educantur de potentia materiae, non requiritur virtus infinita ad earum effectionem; cur ergo quaedam ex formis habent vim ad efficiendas sibi similes, et non aliae, et praesertim illae quae perfectiores sunt? Quapropter haec experientia est quae maxime videtur hanc sententiam confirmare; nam rationes certe non sunt adeo efficaces, ut mox videbimus.

14. Prius vero quam hunc punctum definiamus, necesse est proponere secundum, quem attigimus in ratione superius facta in favorem prioris sententiae, et multum refert ad intelligendam recteque defendendam posteriorem sententiam, quamquam ab eius auctoribus fere omnino praetermissus esse videatur, scilicet, supposito quod accidentia sint instrumenta immediate et per se attingentia eductionem formae substantialis, an sint instrumenta separata ab ipsis formis quoad causalitatem, an vero coniuncta. Et consequenter an forma substantialis dicatur principium principale huius actionis solum remote et radicaliter, an vero etiam proxime et per se actu influens. Et quidem auctores omnes posterioris sententiae videntur censere accidentia esse instrumenta separata; nam rationes adductae et experientiae, si quid probant, hoc maxime suadent, nam videntur accidentia generare substantiam, etiam quando nulla est substantia quae cum illis concurrat. Et ita sentiunt, praeter citatos auctores, Palud., in IV, dist. 12, q. 4, a. 1, concl. 3; et ibi Richard., a. 3, q. 2; et Thomas de Argent., q. 1; Maior, q. 1; Hispal., q. 1, a. 3, notab. 3; Albert., a. 16. Qui omnes loquuntur de speciebus sacramentalibus, quae sine substantia manent; et illis tribuunt quod eamdem efficientiam habeant in virtute substantiae, quam habere possunt quando coniunctae sunt, quod late declarat etiam Aegidius, theor. 48, de Eucharistia; Zimara etiam theor. 114, fuse tractans propositionem illam Averrois, *idem esse agens disponens materiam et introducens formam*, sentit totam actionem esse immediate a qualitatibus, a forma autem non nisi in quantum virtutem suam agendi communicat qualitati. Idem late Caiet., I, q. 53, a. 3. Nihilominus tamen haec sententia habet difficultates supra tactas inter confirmandum opinionem Scoti in superiori puncto, quia non apparet quomodo possit forma substantialis transfundere (ut ita dicam) totam suam vim agendi in accidentalem formam, ita ut pereunte etiam (si opus sit) substantialis forma, et conservata sola accidentali, possit haec sola efficere substantialem formam perfectiorem se, cum actu non habeat esse tam perfectum neque actu iuvetur a superiori forma.

*Prima assertio ad resolutionem quaestionis*

15. Propter has difficultates difficile censeo iudicium ferre inter has sententias; breviter tamen quod sentio proponam. Dico ergo primo negandum non esse quin accidentia ita sint instrumenta ad producendam substantiam ut proxime et per se attingant eductionem formae substantialis. Probatur primo ex communi sententia tot philosophorum, quae non est facile reiicienda ubi evidens ratio in contrarium non occurrit. Secundo, quia experientia, cui philosophia maxime nititur, hoc multum confirmat et nihil est quod repugnet, ut patebit solvendo obiectiones in contrarium. Tertio, quia alioqui saepe erit necessarium totam efficientiam substantiae tribuere causis universalibus, vel etiam primae, quod in philosophia vitandum est quoad fieri possit, quia recta dispositio universi postulat ut per causas secundas fiat quidquid commode et connaturaliter fieri potest. Quarto denique, quia hic modus efficientiae consentaneus est naturae accidentalis formae, quae substantiae datur non solum ad ornamentum et pulchritudinem, sed etiam ad exercendas actiones suas, ut de aliis actionibus inductione constat.

16. Dices esse disparem rationem de hac actione et de aliis; nam aliae actiones sunt accidentales, ut intellectio, visio, calefactio, etc. Haec autem actio est substantialis, id est, per se primo terminata ad substantialem terminum; et ideo, licet ad alias actiones accidentia sint apta instrumenta, non vero ad hanc, quia principium proximum agendi debet esse proportionatum actioni, et ideo si actio sit superioris ordinis, etiam principium esse debet. Ut, verbi gratia, quia intellectio est spiritualis actio, non dedisset natura aptum principium ad illam si potentiam seu instrumentum materiale contulisset, etiamsi anima, quae est principale principium, sit spiritualis; sic ergo ad substantialem actionem non erit accidens accommodatum instrumentum, etiamsi forma sit substantialis. Ad hoc responderi potest ex Caietano, I, q. 54, a. 3, generationem substantialem non esse propriam operationem vel actionem, sed esse terminum praecedentis motus seu alterationis, et ideo principium alterationis esse aptissimum instrumentum aut principium generationis. Quam responsionem aliqui moderni ita amplectuntur ut in ea fere fundent totam probabilitatem sententiae D. Thomae de hac efficientia accidentium; et existimant ante Scotum neminem posuisse hanc actionem ab alteratione distinctam. Miror tamen quod potuerint in hanc sententiam induci, quae mihi videtur et doctrinae Aristotelis et eorumdem principiis et evidenti rationi contraria. Aristoteles enim, toto I lib. Phys., et I de Generat., hoc praecipue agit ut generationem substantialem ab alteratione distinguat; et in V Phys., cum ad tria praedicamenta dicat esse per se motum proprie dictum, ait ad substantiam non esse motum, sed mutationem, quia non est ex subiecto in subiectum, sed ex ente in potentia in ens simpliciter. Unde eisdem locis distinguit principia generationis a principiis aliorum motuum, quae sunt propria materia, ut est pura potentia, et substantialis forma, et privatio.

17. *Generatio an et qualiter terminus alterationis.*— Deinde alii auctores aequivoce utuntur vocibus cum aiunt generationem esse terminum motus seu alterationis; nam potest dici terminus intrinsece et proprie, et sic est plane falsum; nam talis terminus alterationis non est nisi qualitas quae per eam fit; immo in universum impossibile est actionem esse terminum alicuius motus, quia de intrinseca ratione actionis est ut sit via et quod non per aliam actionem fiat, sed per seipsam. Alio modo dici potest terminus successivi motus tamquam mutatio instantanea extrinsece terminans motum. Quod duobus modis potest intelligi. Primo, quod illa sit quaedam indivisibilis mutatio seu quoddam mutatum esse quod reductive pertinet ad eumdem motum et in re est eiusdem rationis cum mutatis esse continuantibus motum. Et hoc dici non potest de generatione respectu alterationis praecedentis, quia neque est eiusdem ordinis cum alteratione neque ad illam ullo modo reducitur. Et praeterea, quia mutatio terminans motum intra rationem seu latitudinem eius, confert aliquid ad consummandum terminum motus intra propriam rationem et entitatem; ut mutatum esse in quo prima non est motus localis consummat illud Ubi quod per talem motum fit, et in eo instanti incipit esse, cum antea nondum esset; et idem est proportionaliter in alteratione, quia in eo instanti fit aliquis terminus qualitatis, qui antea non erat.

Per generationem autem non fit aliquis terminus qualitatis intrinsece et intra proprium genus pertinens ad consummationem eius, sed fit nova forma altioris rationis. Ergo non potest generatio hoc modo dici terminus motus seu alterationis. Alio igitur modo dici potest terminus extrinsecus tantum propter immediatam consecutionem vel concomitantiam.
Et hic sensus est verus; tamen hoc non impedit quominus generatio sit actio distincta; sic enim illuminatio est terminus motus, et est propria actio. Et creatio animae rationalis potest hoc modo dici terminus generationis quoad alterationem praecedentem, quam nemo negabit esse actionem distinctam, et a fortiori idem est de unione illius animae ad corpus, cum haec sit posterior actio quam creatio animae. Si ergo generatio hominis est actio distincta ab alteratione, licet sit terminus illo modo, idem a fortiori erit in reliquis. Atque hoc maxime necessarium est, si supponamus (ut dicti auctores supponunt) in instanti generationis totam praecedentem alterationem et intrinsecum terminum eius desinere esse; sic enim generatio non potest dici terminus nisi quia immediate succedit post illam alterationem; ergo illa non potest non esse nova actio, quia immediata consecutio unius post aliud non tollit novitatem et distinctionem actionis.

18. Unde tandem argumentor a priori, quia generatio est realiter essentialiterque distincta a tota alteratione praecedenti; ergo est per se propria et nova actio. Antecedens patet, quia est eductio novae formae realiter distinctae a praecedenti et fit in subiecto distincto, scilicet in materia prima immediate; alteratio vero fit, vel in toto composito, vel saltem in materia, media quantitate. Denique, quia tota alteratio duratione praecedit, et iuxta probabilem opinionem etiam eius intrinsecus terminus non manet. Consequentia vero probatur, quia illa actio est eductio novae formae, quae per se primo tendit ad novum compositum per se unum; ergo est per se nova actio. Dicent fortasse non esse propriam actionem, sed resultantiam quamdam ex priori alteratione. Sed hoc dici non potest, praesertim si supponamus accidentia quae praecesserunt in corrupto non manere in genito; nam aliqua forma non dicitur resultare ex aliqua actione nisi quatenus resultat ex termino eius, quia unaquaeque actio proxime sistit in suo termino. Unde nihil resultat ex illa mediate nisi quatenus resultat ex termino eius; si ergo in instanti generationis neque alteratio nec terminus eius manet, quomodo ex illa resultare potest substantialis forma? Dicent fortasse, quia naturaliter succedit illi. At hoc non est resultare, nam resultantia dicit aliquem modum efficientiae per naturalem dimanationem, quae esse non potest inter res quae proxime sibi succedunt, quando uni pereunti succedit altera; alias etiam ex forma corrupti dici posset resultare forma geniti. Quapropter haec successio non tollit necessitatem novae actionis, sed illam maxime requirit, ut ex vi eius possit forma introduci qua expellatur altera, et consequenter accidentia, si ab illa pendebant.

19. Unde minus etiam consequenter loquuntur qui, cum alias opinentur accidentia quae fuerunt in genito non manere in corrupto, dicunt formam substantialem resultare in materia virtute instrumentali accidentium quae introducuntur per motum, cum primum ad certum terminum perveniunt; nam si illa iam non sunt, quomodo esse possunt instrumentaria virtus? Item illa quae perveniunt ad certum terminum intrinsecum non sunt eadem quae antea erant, et secundum illum terminum consequuntur formam, iuxta illam sententiam; non ergo possunt esse instrumenta ad illam. Et praeterea, ut supra disputando de materia accidentium tetigimus, etiamsi eadem accidentia maneant, non possunt esse instrumenta ad substantialem formam, quia nullam habent propriam actionem praeviam, qua mediante eleventur ad effectum principalis agentis. Quapropter haec instrumentaria efficientia non accidentibus quae in passo fiunt et materiam disponunt, sed accidentibus quae sunt in agente, a quibus illa alia procedunt, tribuenda est. Ex quo etiam fit ut non possit vere dici forma substantialis resultare ab accidentibus disponentibus materiam. Denique, quidquid sit de nomine resultantiae, et quidquid sit an accidentia passi habeant etiam efficientiam in eductione formae, negari non potest quin illa eductio sit nova actio et maxime per se intenta, quia illa est propria actio, quae fit in virtute substantiae; nam alteratio est actio propria ipsius accidentis secundum se et est quasi medium ordinatum ad generationem, quae est actio per se primo intenta. Sicut etiam nutritio est proprie ac per se actio, et augmentatio, teste Aristotele, est per se motus, quamvis neutra fiat nisi praevia alteratione et mediis dispositionibus cum quibus possit partialis substantia aggenerari.

20. Aliter ergo respondendum est propositae obiectioni, concedendo actionem qua educitur forma substantialis esse substantialem ex parte termini et esse nobiliorem omni actione vel alteratione quam accidens potest virtute sua praestare, quod non solus Scotus invenit, sed ante eum docuerunt Aristoteles, lib. II Phys., text. 14, et lib. VIII, text. 62; Averr., IV lib. Phys., comm. 129; Simplic., lib. V Phys., text. 8. Idemque secuti sunt post Scotum multi ex thomistis, ut videre est in Capreol., In I, dist. 13, a. 3, ad argum. contra 1 conclus.; Soncin., VII Metaph., q. 22; Ferr., II cont. Gent., c. 17. Et nihilominus dicunt, et recte, hi auctores accidens proportionatum formae substantiali posse esse ex natura sua instrumentum accommodatum ad talem actionem; quia, licet in ratione entis sit inferioris ordinis forma accidentalis comparata ad substantialem, tamen in modo essendi habent proportionem, si utraque sit pendens a materia; et similiter commensurantur in ratione dispositionis et formae, et eadem ratione possunt proportionari in ratione instrumentariae virtutis et actionis seu termini; nam, sicut est connaturale substantiae operari per accidentia sibi proportionata, ita est connaturale illi fieri per accidentales dispositiones sibi proportionatas tamquam per instrumentum accommodatum. Quapropter non est simile quod obiiciebatur de potentia materiali respectu intellectionis spiritualis, quia ibi nulla esset proportio, nec in ratione subiecti nec in ratione dispositionis aut in alio genere; et ideo non esset accommodatum principium. Eo vel maxime quod intellectus non est tantum instrumentum, sed suo etiam modo principale principium intellectionis sibi connaturalis, ut sequenti sectione dicam.

21. *An generationem hominis accidentia attingant effective.*— Sed potest quis instare quod, saltem in generatione hominis, non sint accidentia apta instrumenta ut possint immediate attingere actionem qua generatur homo, quia illa actio est unitio animae rationalis ad materiam, per quam proxime fit modus unionis eiusdem animae, qui modus immaterialis est, cum realiter idem sit cum ipsa anima; ergo et illa actio unitiva est spiritualis, nam est idem cum suo proximo ac formali termino; ergo non potest accidens materiale esse instrumentum ad talem actionem. Respondetur primo concedendo totum; nam in conclusione non diximus accidentia esse instrumenta ad uniendam quamcumque formam substantialem cum materia, sed ad educendam formam utique educibilem; ad uniendam autem rationalem formam satis est quod accidentia seminis concurrant effective ad disponendum et organizandum corpus, dispositiones autem ipsae materialiter tantum causent et exigant illam unionem; quod satis est ut homo dicatur generare hominem, quamvis solus Deus, qui creat animam, effective etiam illam uniat, ut tenuit Scotus, In IV, dist. 43, q. 3, a. 3; et idem censet probabile ibi Richardus, a. 3, q. 2. Idem etiam supponit Henric., Quodl. XI, q. 14, dum ait animam rationalem, creatam a solo Deo in corpore disposito ab agente naturali, seipsam unire absque efficientia nova extrinseci agentis, sed quasi per naturalem resultantiam unionis ab ipsa anima; nam ex illa sententia etiam sequitur proximum agens in generatione humana non attingere immediate sua efficientia unionem animae ad corpus, sed solum remote ratione dispositionum; quam opinionem tenent etiam Conimbricenses, lib. I Phys., q. 11, a. 3. Secundo, si quis defendere velit accidentia attingere instrumentaliter hanc unionem, quod tenet Capreolus, In II, dist. 15, q. unic., a 3, et clarius In IV, dist. 43, a. 3, ad argument. Henrici et Aureoli contra 2 concl., responderi potest illam unionem, tametsi in se immaterialis sit, participare tamen aliquas proprietates rei materialis, praesertim quod a materia pendet in fieri et esse propter essentialem et actualem habitudinem ad illam; unde etiam habet quamdam extensionem ex parte illius; et propter hanc causam fieri posse ut accidentia materialia eleventur ut instrumenta ad illam unionem faciendam, quod non videbitur difficile iis qui credunt materiale phantasma esse instrumentum ad efficiendam speciem spiritualem.

*Secunda assertio*

22. *Instrumentalis forma non est sufficiens ratio agendi non adiuncta forma quae sit ratio principalis.*— Dico secundo: negandum non est quin forma substantialis suam habet propriam et principalem efficientiam circa eductionem similis formae de potentia materiae,

immediate per seipsam simul influendo cum accidentali et instrumentali principio, si in re coniuncta sit et sufficienter approximata, quo fit ut accidens in hac efficientia se gerat ut instrumentum coniunctum formae et non ut omnino separatum quoad causalitatem. Tota haec conclusio et intentio ac sensus eius, satis, ut opinor, declarata sunt in superioribus. Et amplius manifestantur, nam quando ignis, verbi gratia, generatur ex stupa sibi propinqua, dicimus ignem generantem non solum per calorem suum instrumentaliter, sed etiam per suam formam substantialem principaliter influere in actionem, quae ad eductionem formae substantialis intrinsece terminatur; non tantum mediate et remote, quatenus dat suo calori illud esse et illam virtutem per quam causat, sed etiam quia proxime in suo genere simul influit cum suo calore. Et hoc ipsum servari dicimus in omni eductione formae substantialis, si aliunde ex parte agentis non sit impedimentum, vel ob carentiam existentiae vel ob distantiam loci. Fundamentum etiam huius assertionis sic expositae in superioribus insinuatum est consistitque in duobus principiis. Unum est, formam instrumentariam, per se solam et quasi destitutam ab actuali influxu principalis agentis, non posse esse sufficientem in ratione causae proximae ad efficiendam formam se nobiliorem. Quod principium videtur mihi fere ex terminis notum, quia si illa forma tunc non iuvatur actu a superiori, tantum influit per id quod in se actu habet; cum ergo illud sit quid imperfectum, non potest per se solum efficere aliquid perfectius. Item repugnat calorem efficere formam substantialem sola propria virtute; sed quando se solo operatur sine influxu superioris formae, tantum operatur propria virtute, quia nullam aliam habet, nisi illam quae connaturalis est entitati seu quam habet ex vi sui proprii esse. Quod autem habeat hoc esse a forma ignis, aut quod natura sua sit facultas eius, aut quod vice illius substituatur ut quasi nomine eius agat, haec (inquam) omnia cum solum addant calori relationes quasdam vel denominationes, satis esse non possunt ut solus calor destitutus (ut sic dicam) omni superiori auxilio sit sufficiens principium proximum et immediatum talis actionis. Item quia alias calor eodem modo esset virtus producendi substantiam sicut est virtus producendi calorem, quod ex ipso excessu substantiae constat esse satis absurdum. Sequela patet, quia utrumque habet calor ut est quaedam virtus substantiae et ab illa suum esse participat. Denique, cum virtus agendi caloris sub quacumque ratione nihil aliud sit quam entitas et perfectio eius, et haec longe sit minor quam in forma substantiali, intelligi satis non potest quomodo tota virtus, quae per se sola sufficiens sit ad eductionem substantialis formae, in calorem transfundatur; non igitur potest solus calor loco totius principalis principii substitui.

23. *Substantialis forma materialis constituit suppositum potens efficere.*— Alterum principium, in quo nititur assertio posita, est hunc activitatis modum, per se loquendo, posse convenire formae substantiali materiali, si aliunde non desint generales conditiones ad agendum requisitae. Hoc autem principium videtur satis probatum in rationibus ultimo loco factis in favorem opinionis Scoti, quas non parum confirmat Aristoteles, II de Gener., text. 54 et 55, ubi, reprehendens eos qui efficientiam formarum negabant, inquit: *Huc accedit quod facultates, per quas res gignuntur, varie instrumentarias corporibus attribuunt, atque interea causam quae ad formam pertinet, auferunt*. Nec satis est dicere formis attribui efficientiam quia ab illis manant qualitates, per quas solas exercent omnes actiones suas, quia, ut supra dicebamus, haec non est propria et per se efficientia, sed tantum remota et radicalis; nam actio quae immediate oritur a sola forma accidentali a sola etiam illa per se essentialiter pendet tamquam a principio proximo, ut omittam concursum causae universalis. Cuius signum est quia si Deus conservat calorem, verbi gratia, conservari etiam potest omnis actio quae ab illo solo proxime procedit, ut etiam auctores contrariae sententiae fatentur; ergo signum est formam substantialem non esse principium per se talis actionis; ergo si forma nunquam potest actu influere cum facultate accidentali, nunquam habet veram ac propriam efficientiam, quod Aristoteles supra reprehendit, et non parum derogat perfectioni substantialis formae. Praeterea nulla ostendi potest repugnantia in hoc efficiendi modo; ergo non est cur negetur; simili enim consecutione supra probavimus habere causas secundas vim efficiendi, quia ad perfectionem creaturarum et ad efficaciam creatoris spectat quod habeant virtutem se communicandi, quantum naturis earum consentaneum est; ergo idem erit dicendum de formis substantialibus, quantum ad hanc efficientiam, si aliunde eis non repugnat; non potest autem ostendi ulla repugnantia, per se loquendo, neque ex parte formae

quae educitur, neque ex parte formae educentis. Primum patet, quia illa forma et est finita et fit (ut ita dicam) modo finito, id est per eductionem, sine ulla admixtione creationis. Secundum patet, quia illa forma non est minus perfecta neque est improportionata, cum sit eiusdem ordinis; est enim actus materiae nobilior vel aeque nobilis; et natura sua instituta, et maxime propensa ad generandum sibi simile.

24. *Secundae sententiae rationibus satisfit.— Prima.*— Denique rationes secundae sententiae vel non militant vel non admodum urgent contra hanc activitatem. Prima enim ratio ad summum probat non esse excludendam instrumentalem activitatem accidentium, non vero probat hanc influentiam formae esse impossibilem aut non esse necessariam. Duobus itaque modis intelligi potest formam substantialem esse proximum principium alicuius actionis: uno modo, exclusive (ut ita dicam), id est absque consortio alterius principii proximi et instrumentalis. Et hoc modo non sequitur substantialem formam esse principium proximum alicuius propriae actionis. Et hoc ad summum probant rationes factae in illo argumento. Alio modo intelligi potest quod forma substantialis sit principium proximum, id est immediate influens per suam substantiam in actionem seu effectum, non tamen sola, sed ut elevans seu adiuvans instrumentariam virtutem, et ut determinata per illam ad talem actionem. Et hoc modo negamus excedere perfectionem formae substantialis esse proximum principium principale agendi alicuius actionis, quod non solum in generatione substantiali, de qua nunc agimus, sed etiam in aliquibus operationibus accidentalibus verum esse, ostendemus sectione sequenti. Neque rationes tactae in illo argumento contra hoc procedunt; quia hic modus efficiendi non excludit accidentalem facultatem seu instrumentum.

25. *Secunda.— Tertia.*— Secunda vero ratio ex falso fundamento procedit, ut ex dictis constat, nimirum quod generatio non sit proprie actio ab alteratione distincta. Tertia vero parvi est momenti, tum quia ad efficientiam in rigore sufficit contrarietas seu oppositio privativa, maxime ubi effectio non est per proprium motum successivum, sed per mutationem instantaneam, qualis est generatio substantialis; tum etiam quia, licet formalis contrarietas sit inter qualitates, tamen radicalis (ut sic dicam) est in formis substantialibus; et ideo non semper qualitas sola est principium actionis, sed interdum etiam forma, maxime quando per actionem non solum qualitas contraria, sed etiam forma repugnans alteri formae introducenda est. Denique, licet actio corruptiva non sit nisi inter contraria, nihilominus qualitates ipsae non solum efficiunt qualitates formaliter contrarias, sed etiam formas, in quibus est radix contrarietatis et repugnantiae. Signum ergo est quod, licet actio incipiat a propria contrarietate, non tamen in ea sistit, sed extenditur usque ad radicem eius; quid ergo mirum quod ipsa etiam forma possit in suo genere esse principium talis efficientiae, saltem prout attingit substantialem formam et radicem contrarietatis? Experientiae vero, quae ultimo loco afferebantur, non procedunt contra hanc conclusionem, quae solum ex hypothesi posita est, scilicet si forma sufficienter adsit; quid vero de illis dicendum sit, constabit ex assertionibus sequentibus.

26. *Primam conclusionem secundae non obstare ostenditur.*— Solum potest contra has duas conclusiones afferri obiectio Scoti; nam videtur haec secunda priori repugnare, quia si forma substantialis per seipsam proxime influit ad efficiendam similem formam, superflua est immediata activitas accidentium; si enim calor se solo sufficit in ratione principii proximi ad efficiendum similem calorem, cur forma ignis sola non sufficiet ad educendam similem formam, cum iam supponamus posse immediate influere in illam? Quod si illa sufficit, supervacaneum est aliud principium. Respondetur primum necessarium fuisse ut accidentia habeant instrumentariam activitatem, quia, ut statim dicemus, no solum data sunt ad agendum in praesentia formae, sed etiam in absentia illius; nam hoc saepe necessarium est ad naturales generationes. Deinde hinc elicimus virtutem propriam disponendi et praeparandi materiam et virtutem instrumentariam educendi formam, quando illa educibilis est, ex natura rei esse coniunctas, et ideo, quamvis daremus ex parte formae, quando illa sufficienter adest, non esse absolute necessariam aliam vim activam, tamen quia haec alias est per se necessaria et connaturalis, ideo tunc etiam concurrit et multum iuvat ad actionem. Tandem addi potest

fortasse etiam tunc esse necessariam illam virtutem, quia forma substantialis per se sola nunquam est sufficiens principium actionis, eo quod ex se sit indifferens et quasi generale principium actionis, et quia, sicut forma substantialis ex parte materiae requirit dispositiones accidentales, licet forma accidentalis illas non requirat, ita ex parte principia requirit consortium accidentalis instrumenti ut de potentia materiae educatur.

*Tertia assertio*

27. Dico tertio: accidentia non ita sunt instrumenta coniuncta substantiae ad formam substantialem educendam, quin possint totam suam activitatem circa substantiam exercere, etiamsi a substantiali forma disiuncta seu distantia sint. Haec est clara D. Thomae sententia, quam sequuntur omnes auctores supra citati, tam in secunda sententia prioris puncti, quam in puncto secundo. Eamque probant naturales experientiae supra adductae, et illa quae, supposito Eucharistiae mysterio, sumitur ex actione specierum vini. Ratio autem a priori est quia in his accidentibus, quacumque ratione eorum entitas conservetur distincta a propria substantiali forma, manet tota virtus agendi eis connaturalis, quia haec in re non distinguitur ab eorum entitate; ergo si convenienti modo applicentur alicui passo, habebunt circa illud connaturalem actionem qua disponunt materiam eius ad formam ipsi proportionatam; sed cum hac actione, si ad terminum requisitum perveniat, ex natura rei coniuncta est actio instrumentaria qua educitur substantialis forma, quia haec non potest naturaliter separari ab ultima dispositione; ergo hanc etiam actionem possunt habere huiusmodi accidentia, etiamsi a propria forma distent, dummodo habeant totam intrinsecam perfectionem vel intensionem necessariam ad agendum et ad sufficienter disponendam materiam.

*Quarta assertio*

28. Dico quarto: quando accidentia a sua forma disiuncta ita efficiunt substantialem formam ut non possint a propria forma iuvari, necesse est ut influxus propriae formae, qui ibi deest, per concursum alicuius superioris causae suppleatur, quae causa esse non potest aliqua intelligentia creata, sed esse debet aliqua causa corporea, ut sol vel alia similis; vel, si haec etiam desit aut insufficiens inveniatur, per concursum primae causae totus ille defectus supplendus est. Haec conclusio, quoad priorem partem, necessaria consecutione sequitur ex praecedentibus; nam forma accidentalis sola et destituta ope formae substantialis non est sufficiens principium in ratione causae proximae substantialis formae, ut in secunda assertione probatum est; ergo quando deest influxus formae substantialis non potest consummare effectum principalis agentis nisi influxus ille aliunde suppleatur, quia nunquam potest fieri effectus sine sufficienti causa. Contingit autem saepe accidentia sine influxu propriae formae pertingere actione sua usque ad substantialem effectum; ergo tunc suppletur ille influxus per concursum alicuius causae superioris, quia non est aliud principium in quod talis actio referri possit, quia inferior causa non sufficit, propter eamdem rationem saepe repetitam, et aequalia nulla intervenit. Declaratur deinde haec assertio ex quadam communi sententia omnium philosophorum; omnes enim sentiunt aliquos effectus substantiales tribuendos esse alicui causae superiori vel caelesti ut proximae causae principali, ob defectum causae particularis seu univocae; sic aiunt animalia quae ex putrefactione generantur, fieri virtute caelesti; item de mineralibus; et de forma cadaveris idem multi sentiunt. At vero si sola accidentia sufficerent ad efficiendam formam substantialem sine iuvamine superioris causae, nunquam oporteret recurrere in his effectibus ad causam superiorem, sed dicendum semper esset unumquodque fieri a suo simili, vel formaliter vel virtute existente in suis accidentibus, absque alio influxu caeli vel alterius causae universalis, praeter eum quem habet cum caeteris causis. Ut, verbi gratia, si verum esset in ferro candente nullum esse formalem ignem, sed solum intensum calorem, sufficientem ad disponendam materiam stupae ad formam substantialem ignis, tunc, licet tale ferrum generaret ignem, nec caelum nec Deus concurreret maiori concursu quam si ignis generaret ignem, et consequenter illa generatio ignis non magis tribueretur causae universali quam si ignis generaret; ergo, pari ratione, quando aurum generatur in visceribus terrae, non concurrit ibi sol speciali aliquo influxu ad formam substantialem auri, sed accidentia quae disponunt sufficienter materiam ad formam auri (haec enim semper sunt necessaria in eductione cuiuscumque formae) in virtute formae auri inducent similem formam; ergo non generatur

aurum a caelo, sed ab auro, et cadaver a cadavere, et sic de omnibus aliis; hoc autem alienum est a sensu philosophorum omnium, dicentium in illis eventibus causam universalem supplere defectum particularis; ergo idem dicendum est quoties similis defectus intervenit. Atque hoc magis declarabitur discurrendo per nonnullos effectus in particulari.

29. *Varii modi quibus accidentia possunt esse a connaturalibus substantiis seu principalibus separata.*— Variis enim modis contingere potest accidentia esse separata a sua forma substantiali. Primo modo, quia divina vincula extra omnem substantiam conservantur, ut in mysterio Eucharistiae contingit. Et tunc accidentia separata, verbi gratia, species vini, propria quidem virtute et generali concursu Dei disponunt guttam aquae, verbi gratia, eis admixtam, ut eam in vinum convertant; cum tamen perveniunt ad instans substantialis transmutationis, adhibent quidem eadem accidentia totam instrumentariam efficientiam quam ex natura sua possunt adhibere ad eductionem formae; tamen quia deest influxus substantialis formae, necesse est ut, praeter concursum generalem, Deus adhibeat maiorem efficaciam, qua suppleat influxum illius formae. De qua re dixi III tomo III partis, disp. LVII, sect. 1, ubi actores retuli qui ita philosophantur, et nihilominus vocant illam actionem naturalem, quia totus ille concursus debitus est, supposito priori miraculo; in reliquis autem omnibus actio fit virtute et modo naturali.

30. *Ferrum candens an vere ignitum in aliqua parte*.— Alio modo contingit accidens esse separatum a propria forma substantiali, quia est in extraneo subiecto, sicut est intensus calor in aqua aut ferro, vel sicut est lumen in aere; vocamus enim subiectum extraneum non solum quod est repugnans, sed etiam quod ex vi suae formae non habet tale accidens, nisi illud ab extrinseco agente recipiat. Accidens autem sic existens in extraneo subiecto, si sit eiusdem speciei cum dispositionibus requisitis ad formam introducendam, raro est potens ad efficiendam sufficientem dispositionem ad formam connaturalem; unde vel habere debet coniunctam formam in ratione principii activi, vel omnino per accidens sequetur generatio ex materiae dispositione, et tunc necessaria magis erit virtus causae superioris. Et ratio est quia calor, verbi gratia, separatus ab igne vel ab animali, per se loquendo, non sufficit ad disponendam materiam sufficienter ad formam ignis, quia, existens in extraneo subiecto, nunquam habet intensionem necessariam ad formam ignis; neque etiam sufficit ad generandam carnem vel introducendam animam, quia in extraneo subiecto non est ita temperatus sicut dispositio animae requirit. Quae ratio generaliter procedit de quocumque simili accidente, nam in extraneo subiecto vel non pertingit ad gradum quem alia forma requirit vel non habet coniunctas alias qualitates requisitas ad temperamentum talis formae; et ideo, per se loquendo, non potest sufficienter disponere ad illam formam, et consequenter nec illam instrumentaliter in materiam primam introducere. Unde, in exemplo illo vulgari de ferro ignito, calor qui inhaeret ferro revera non sufficit ad generandum ignem, habet tamen coniunctum aliquem verum ignem intime illapsum in poris ferri, a quo generatur ignis; calor vero ferri iuvat ad velocitatem et vehementiam actionis. Accidit etiam interdum ex dispositione passi ut, licet proximum agens non introducat nisi calorem in aliquo gradu, per accidens resultet dispositio ad formam valde diversam, ut si materia sit humida et ab igne calefiat, facile resultat temperamentum calidi et humidi et forma aliqua mixti requirens illam dispositionem. Et hoc modo generantur plurima mixta, praesertim imperfecta; fortasse etiam mineralia saepe fiunt hoc modo. Aliquando enim probabile est fieri per se, per actionem sui similis, quasi per accretionem et augmentum, non quidem vitale, sed per iuxtapositionem. Animalia item, quae ex putrefactione aut ex pluvia cadente in terram calidam generantur, hoc modo per accidens fieri videntur. Et in huiusmodi generationibus per accidens non est creditu difficile requiri virtutem superioris agentis, a quo tales formae introducantur; quia proximum agens non solum non habet substantialem formam similem vel aequalem, verum etiam neque qualitatem aut temperamentum per se sufficiens ad disponendam ac praeparandam materiam, et consequenter neque ad instrumentariam actionem sufficientem. Dispositiones autem quae recipiuntur in passo, ut saepe dixi, non concurrunt active, etiam instrumentaliter, ad introducendam suam formam, quia vel iam in illo instanti non sunt, sed aliae resultantes ex forma, vel, si sunt eaedem, non habent ibi ullam actionem propriam, et

ideo neque instrumentariam habere possunt; ergo in his omnibus generationibus, quae veluti per accidens fiunt, merito exigitur superior aliqua causa quae formam introducat. Et eadem fere ratio est de introductione formae cadaveris, quae quasi per accidens fit ne materia maneat sine forma, et non tam fit iuxta actionem agentis interficientis animal, verbi gratia, quae saepe tantum est divisio continui, sed fit iuxta dispositionem materialem quae in passo manet aut praeerat. Idem est quando ex vehementi motu collisionis aut percussionis corporum excitatur ignis, medio vehementi calore, quem motus ille causat in aliqua particula materiae ad illum bene disposita. Ac denique eadem ratio est de omnibus generationibus quas per accidens fieri contingit.

31. At vero si accidens existens in extraneo subiecto non est eiusdem, sed superioris rationis respectu dispositionum quibus inferior materia praeparatur ad formam rei generandae, fieri potest ut medio illo accidente fiat alicuius inferioris substantiae generatio, non solum per accidens ratione dispositionum materiae, sed etiam per se ex intentione superioris agentis. Quod tunc accidit quando principale agens, eo quod loco distat, mediatione (ut aiunt) suppositi diffundit virtutem aliquam per medium, ut per eam coniungatur passo inmediatione virtutis, quomodo caelum agit in haec inferiora per lumen aut alias influentias, quae sunt qualitates superioris ordinis et rationis a qualitatibus elementaribus quibus proxime materia disponitur. Et de hoc actionis genere dici potest, quamvis principale agens videatur loco distare, non tamen cessare ab actuali influxu, quia est intra sphaeram activitatis et media virtute diffusa contingit passum. Et ita posset intelligi actionem non esse a solo accidente ut ab instrumento omnino separato, sed ut coniuncto in ratione causandi suo principali agenti. Verum hoc pendet ex difficultate infra tractanda de propinquitate necessaria inter agens et passum, et ideo usque ad illum locum differatur.

32. Ultimo potest accidens, quamvis non sit in extraneo subiecto, esse separatum a principali generante, quia tam ipsum accidens quam subiectum eius est a generante decisum et constitutum ut in agendo obtineat vices suas. Et hoc maxime contingit in generatione animalium medio semine, quod propriissime est instrumentum separatum, non solum subiecto, sed etiam loco, et interdum etiam tempore, contingit enim semen efficere generationem quando generans iam non existit. Ex quo etiam clare constat tale instrumentum esse separatum in causalitate ab animali a quo decisum est, et ideo in hoc instrumento clarior apparet necessitas alicuius influxus superioris causae, alioqui, cum semen sit res valde imperfecta, non apparet quomodo possit se solo efficere rem longe perfectiorem tamquam causa proxima sufficiens. Nam quod sit virtus a perfectiori re decisa et vice sui relicta, licet sufficiat ad aliquam instrumentariam actionem, ut sentit etiam Aristoteles, II de Generat. animal., c. 1[3], tamen non potest esse satis ut absolute sit totale agens proximum. Neque etiam satis est si quis dicat semen non tantum esse instrumentum ratione accidentium, sed etiam ratione formae substantialis, quae est in spiritu incluso in crassiore parte seminis, in quo est seminalis et instrumentaria virtus. Quamvis enim hoc sit probabile, non tamen sufficit, quia tota illa substantia et eius forma est multo minus perfecta quam anima, quae per eius actionem introducitur; indiget ergo maiori concursu et iuvamine superioris causae, maxime in generatione animalium et viventium perfectorum.

33. *Organizatio foetus a quo fiat*.— Immo addunt aliqui, praesertim Scot., In II, dist. 18, etiam ad dispositionem accidentalem organici corporis non esse sufficientem illam virtutem seminis, quia est tam varia et multiplex illa actio ut nullo modo appareat qua ratione possit a simplici et imperfecta virtute et mere naturaliter agente perfici. Unde Commentator, quem etiam Scotus citat, II de Caelo, comm. 69 et sequent., ait semen agere et organizare virtute divina. Et VII Metaph., text. 31, ait virtutem seminis esse divinam, artificiosam, et intellectuali virtuti similem, et *ideo* (inquit) *dubitat Galenus an illa virtus sit creator aut non*. Quod tractat Galenus, lib. de Foetus formatione, ubi se, etsi multum hac in re laborasset, nihil tamen invenisse quod sibi satisfaceret ingenue et libenter confitetur; concludit tamen mirabilem operationem seminis non esse absque aliquo rationis et intellectus compote. Et vere est ita mirabilis illa actio ut vix aut ne vix quidem possit intelligi. Si ergo ipsamet actio organizandi corpus vix potest intelligi in semine sine aliquo peculiari concursu et iuvamine

---

[3] Lege etiam c. 3, et D. Thomas, I, q. 118, a. 1.

superioris causae, quid mirum est quod ad ipsam substantialem formam ex materia subiecta educendam maiori ope et auxilio indigeat? Nam sine dubio est inter haec magna differentia et latum discrimen; cum enim organizatio corporis non substantialis sit, sed accidentalis, recte potest intelligi ad totam illam esse quasi eminentem et universalem virtutem in semine, sive ratione formae substantialis sive ratione alicuius facultatis accidentalis; utraque enim intelligi potest esse instrumentum animae sufficiens ad efficiendum temperamentum primarum qualitatum proportionatum et connaturale membris organici corporis; solum videtur requiri aliqua diversa applicatio ut eadem virtus seminis possit tam diverso modo varia membra disponere et in ordinem mirabilem, qui in membrorum dispositione debita apparet, vi sua redigere. Et ad hoc fortasse iuvatur ab aliqua naturali facultate materni uteri vel ab aliquo influxu caelesti; vel certe (si opus sit) ab aliqua motione vel directione auctoris naturae. Eo vel maxime quod semen non perficit a principio, sua sola virtute, totam organizationem corporis, sed alicuius partis principalis, in quam sensitiva anima introducatur, quae postea paulatim perficit sui corporis organizationem, ut late declarat D. Thomas, I, q. 118, a. 1, ad 4. At vero, quantum ad productionem ipsius animae sensitivae attinet, non solum deest in semine virtus quantum ad modum actionis, sed etiam quoad substantiam actionis (ut sic dicam), et ideo multo magis indiget quoad hanc actionem actuali ope, influxu et concursu superioris causae, ut rem hanc apud se diligenter perpendenti facile constabit.

34. *Obiectio contra supra dicta.*— Solum potest obstare quia videtur esse et contra debitum naturae ordinem et contra perfectionem horum agentium ut semper in eorum generationibus causa superior vel prima supplere debeat defectum causae proximae. Quando enim ex fortuito concursu causarum et per accidens contingit ut aliqua generatio fiat sine sufficienti causa proxima, magis ex necessitate materiae quam ex intentione alicuius agentis naturalis, tunc mirum non est quod in forma introducenda universalis causa supplere debeat defectum particularis. At vero, quod in ipso modo generationis per se instituto a natura causa proxima semper sit adeo imperfecta vel tam imperfecto modo applicet virtutem suam ut nunquam inveniatur sufficiens ad effectum, videtur esse et inordinata naturae institutio et magna imperfectio causarum particularium hoc modo generantium. Et confirmatur, nam agentia corporea inanimata habent, per se loquendo, sufficientem virtutem ad producendum sibi similia; ergo animantia, cum sint longe perfectiora rebus inanimatis, debent illam habere. Confirmatur secundo, quia alias eadem facilitate dici posset huiusmodi causam secundam nihil agere in eductione formae substantialis, sed totum fieri a prima causa supplente defectum causae particularis. Quod si hoc videtur inconveniens quia non est consentaneum naturis rerum, etiam illud videri debet.

35. *Pro solutione obiectionis quaestiuncula*.— Antequam huic obiectioni plene satisfaciam, explicare oportet quae sit causa universalis quae hunc defectum particularis supplet seu instrumentum eius adiuvat, quod in posteriori parte superioris assertionis proposuimus. In qua primum diximus hanc efficientiam non posse tribui intelligentiis creatis, quia existimamus eas nullam habere vim ad efficiendum aliquid in corpora praeter motum localem, ut inferius dicemus de illis ex professo tractantes. Unde actiones naturalium agentium per se non pendent ex concursu creatarum intelligentiarum, sicut neque in esse ab eis pendent, et ideo quando indigent maiori ope et concursu non ab eis illum concursum aut iuvamen exspectant, sed ab aliqua alia causa cui per se subordinentur. Non desunt tamen qui dicant intelligentias, licet per se ipsas non possint hoc modo in corpora influere, tamen per caelos, ut per instrumenta sua, posse. Sed quam sit hoc intellectu et creditu difficile, statim dicam. Superest ergo ut huiusmodi causa universalis sit vel caelum vel ipsemet auctor naturae, Deus; nam praeter has non potest alia causa superior excogitari. Et caelum quidem ex se videtur agens proportionatum, quia, cum sit corporeum et aliunde sit cuiusdam superioris ordinis ac perfectionis, eminentiorem virtutem habet alterandi corpora inferiora, ut ipsa etiam experientia per se satis nos docet. Et ideo mirum non est quod virtutem habeat etiam substantias generandi; ergo et iuvandi accidentia ad substantiarum generationem.

36. Duo tamen, eaque non contemnenda, interveniunt impedimenta, quae hanc caelorum influentiam in substantiales formas rerum generandarum videntur difficilem reddere. Primum impedimentum est universale, respectu omnium quae in terra vel aliis elementis generantur, sive viventia sint sive inanimata, quia, scilicet, vel caelum agit ad eductionem formarum substantialium per sola sua accidentia, vel etiam per suam formam substantialem immediate. Si dicatur primum, insurgit eadem difficultas in qua versamur: quomodo illa accidentia, sine actuali influxu suae vel alterius formae substantialis, per se sufficiant ad substantialem formam educendam. Nisi forte quis respondeat accidentia caelestia esse perfectiora entia quam sint formae materiales rerum generabilium, praesertim inanimatarum. Sed hoc absolute falsum est; nam, ut infra ostendam, forma substantialis non solum ex genere, sed etiam universe et in singulis est perfectius ens quolibet accidente. Et in aliquibus est per se incredibile, ut de forma auri, argenti et gemmarum, etc. Eo vel maxime quod corpora caelestia proxime efficiunt hos effectus mediis qualitatibus quas aeri et aliis corporibus intermediis imprimunt, ut sunt lumen et si forte sunt aliae qualitates insensibiles, quae non sunt perfectiores ipsa forma aeris, nedum aliis omnibus. Si ergo ob hanc causam necessaria est propria et actualis efficientia ipsius formae solis vel aliorum astrorum, obstare videtur nimia distantia localis; quomodo enim potest forma solis immediate per seipsam efficere formam auri in visceribus terrae a se tam longe distantibus et remotis? Propter quam difficultatem Scotus dixit posse aliquam formam immediate agere in distans, quod vix possunt audire aut ferre caeteri philosophi; pugnat enim hoc Scoti dictum cum aristotelico dogmate ab omnibus philosophis recepto. Nec huic difficultati satisfaciet qui dixerit quod, sicut efficientia accidentium solis penetrat usque ad intima terrae, ita etiam efficientia formae solis. Non est enim utrobique similis ratio; nam accidentia diffundunt virtutem suam mediis aliis accidentibus a se productis; forma autem substantialis non potest suam virtutem diffundere mediis formis substantialibus, ut per se facile constat, quia neque corrumpit corpora intermedia nec potest formas substantiales formis addere, sicut accidentia. Quod si forma solis solum mediis accidentibus diffundit virtutem suam, devolvimur in priorem difficultatem, quia iam non immediate influit ipsa forma solis in eductionem alterius formae, sed per accidentia tantum.

37. Ad hanc difficultatem duobus modis responderi potest. Primus est caelum aut solem per suam formam substantialem simul cum accidentali virtute influere immediate in haec inferiora immediatione virtutis, etiam si non sit illis immediate coniunctus immediatione suppositi. Hic autem modus dicendi et difficultatem non parvam habet et modus probabilis defendendi illum explicari non potest usque ad sect. 4, in qua declarabimus quomodo agens debeat esse passo coniunctum ut in illud agere possit, et ideo usque ad illum locum differatur. Secundus modus est has formas substantiales non effici sola virtute principali caelestis influxus, sed necessarium esse ut auctor naturae maiorem concursum adhibeat, quo effectum causae proximae suppleat, caelo autem attribui hos effectus, vel generali ratione, secundum quam dicitur sol et homo generare hominem, quam inferius declarabimus tractando de causis essentialiter subordinatis, vel interdum specialiori titulo, scilicet, quia caelum gerit vicem causae proximae et adhibet totam efficientiam, quam vel ad disponendam materiam vel ad educendam formam per instrumentariam actionem qualitatum adhibere solent causae particulares per instrumentarias virtutes, etiamsi per proprias formas immediate influere non possint. Et fortasse hoc modo efficit sol aurum vel alia mineralia.

38. *Viventia an possit caelum efficere.*— Secundum impedimentum minus generale est de formis viventium; nam cum caelum non sit animatum, etiamsi distantia localis non impediat quominus per formam suam influere possit, nihilominus imperfectior gradus videtur obstare ne in has formas viventium possit influere. Respondent aliqui quamvis caelum non vivat, nihilominus eius formam ratione suae differentiae specificae esse simpliciter perfectiorem his viventibus quae a caelo generantur. Quae responsio sumi potest ex D. Thoma, I, q. 115, a. 3, ad 3, ubi ait corpora caelestia sua universali virtute continere in se quidquid in inferioribus generatur; et q. 105, a. 1, ad 1, ait effectum assimilari agenti, vel secundum speciem vel secundum virtualem continentiam: *Et sic* (inquit) *animalia ex putrefactione generata, et plantae, et corpora mineralia, assimilantur soli et stellis, quorum virtute generantur*. Sed imprimis, licet respectu imperfectorum viventium seu animalium

probabile sit quod in ea responsione assumitur, tamen respectu animalium perfectorum non videtur verisimile, quia et in operationibus et in modo operandi videntur multum excedere perfectionem caeli. Deinde, cum gradus vitae, ut, sic, perfectior sit gradu non viventium, impossibile videtur formam quae non est anima eminenter continere aliquam animam ut possit esse principium principale causandi illam; nam forma quae eminenter continet animam continet etiam gradum vitae, non quidem secundum totam potentialitatem eius, sed secundum actualem ac praecisam perfectionem eius; non potest autem intelligi quod forma sub inferiori gradu contenta eminenter contineat perfectionem superioris gradus.

39. *Caelum cum intelligentia, vivens generare nequit*.— Est igitur alia responsio caelum propria virtute non posse efficere formas viventium; tamen, quia non agit nisi ut motum ab intelligentia, ideo in virtute intelligentiae, cuius est instrumentum, posse efficere huiusmodi formas. Ita respondet D. Thomas, I, q. 70, a. 5, ad 3; unde in prioribus locis videtur loqui de caelo ut coniuncto intelligentiae seu prout illam includit. Sed haec etiam responsio mihi est ad intelligendum difficilis, quia non existimo intelligentiam imprimere caelo aliquid praeter localem motum, qui non deservit ad augmentum virtutis activae, sed solum ad variam eius applicationem, ut satis significavit Aristoteles, lib. II de Gener., c. 9, text. 55, dicens: *Nam impulsus propterea continuam parit generationem, quod solem procreandarum rerum auctorem admoveat et removeat*. Et ratione patet, nam quid est quod angelus imprimit caelo praeter motum, cum qualitates ullas ei imprimere non possit? Nam materia corporalis solum quoad motum localem obedit angelis, ut idem D. Thomas tradit, I, q. 110, a 2 et 3. Quod si nihil praeter motum intelligentia caelo imprimit, quomodo potest virtutem eius augere ad agendum aliquid ultra propriam perfectionem? Nam motus localis per se non est activus, neque dat virtutem agendi. Neque in hoc sunt comparanda agentia physica, quales sunt caeli, cum instrumentis artis, in quibus motus deservit ad formam artis, quia haec nihil aliud est quam modus resultans ex vario situ aut loco alicuius corporis et partium eius quae variantur per motum; at vero agentia physica inducunt proprias et perfectas formas, quae per se non resultant ex motu, sed tantum per accidens, quatenus per motum applicatur virtus agendi. Praeterea caelum natura sua non est instrumentum intelligentiae, quia nec habet naturalem habitudinem ad illam neque aliqua intelligentia ex natura sua est coniuncta caelo aut destinata ad motum eius, sed tantum ex arbitrio ac beneplacito auctoris naturae. Neque etiam ratione solius motus localis fit instrumentum; alias quisquis applicat ignem aut aliam causam agentem uteretur illa ut instrumento physico, et ob eam causam posset ignis applicatus aliquid amplius agere in virtute applicantis, quod est plane falsum. Sequela patet, quia nihil amplius habet caelum ab intelligentia quam applicationem, neque aliquid magis vel minus habet caelum eo quod ab intelligentia magis vel minus perfecta moveatur vel a quacumque alia re, dummodo aequalem motum recipiat. Denique, cum dicitur caelum efficere viventia in virtute intelligentiae viventis interrogo an intelligentia simul cum caelo actu per seipsam et immediate influat et efficiat animas viventium vel solum per caelum, ita ut actio intelligentiae sistat in motione caeli, a quo immediate reliqua efficientia oriatur. Primum est falsum et contra doctrinam D. Thom., ut saepe diximus, et magna ex parte coincidit cum opinione Avicennae. Si autem secundum dicatur, non expeditur difficultas quomodo instrumentum non habens in se sufficientem formam possit efficere effectum absque actuali adiutorio superioris et principalioris causae. Verius ergo et melius dicetur caelum propria quidem virtute non posse efficere animal, ut in dicta secunda responsione supponitur, tamen efficere illas in virtute Dei, ut auctoris et generalis provisoris naturae, qui suo maiori concursu supplet quidquid virtutis deest in proximis causis.

40. *Quaestiunculae solutio.— Deus in quos effectus ut causa particularis influat*. — Dicendum est ergo quotiescumque in his rebus inferioribus deest influxus formae substantialis ad similem educendam, illam suppleri virtute causarum caelestium in his effectibus qui non excedunt perfectionem et virtutem earum; in his vero qui illas superant suppleri per efficientiam primae causae, ad quam spectat generalem concursum necessarium praebere causis inferioribus, iuxta naturalem capacitatem et indigentiam earum. Unde non

solum in eventibus seu effectibus qui per accidens contingunt, sed etiam in his qui veluti per se comitantur naturas aliquarum rerum et consequuntur ex naturali modo agendi earum, pertinet ad auctorem et provisorem naturae, Deum, ut hoc modo cum causis secundis ad agendum concurrat. Quapropter interdum est debitus hic concursus Dei ex generali ratione naturae universalis, ne pervertatur ordo universi aut materia sine forma maneat vel in nihilum transeat, sicut aquam moveri sursum ad replendum vacuum est solum ex causa naturae universalis, et ideo creditur fieri ex solo imperio et impulsu auctoris eius, nisi fortasse id muneris sit a Deo commissum alicui intelligentiae, quia motus localis non excedit activitatem et ministerium eius, de quo alias. Aliquando vero debetur talis concursus ex propria natura et conditione alicuius agentis particularis, quod non est aptum alio modo communicare vel propagare naturam suam, ut in generatione animalium perfectorum accidere credimus et in hominis generatione est certissimum, longe tamen altiori et nobiliori ratione. Nam, quia hominis anima non solum perfectior, sed etiam altioris et superioris ordinis est quam reliquae omnes, ideo ad hominis generationem non solum maior concursus auctoris naturae, sed altior etiam modus efficiendi animam necessarius est, scilicet per creationem. Quo fit ut humanum semen neque instrumentaliter possit ad illam efficiendam operari, sed tantum ad organizandum corpus. In aliorum vero animalium etiam perfectorum generatione, quia animae materiales sunt, educuntur de potentia materiae, et ideo potest semen instrumentaliter saltem concurrere ad earum effectionem, non tamen sine ope superioris causae quae suppleat assistentiam (ut sic dicam) et actualem influxum principalis formae.

41. *Obiectioni praemissae satisfit.*— Neque in hoc est aliqua imperfectio vel inordinatio naturae, ut supra obiiciebatur, sed est naturalis conditio seu indigentia quam secum affert modus generationis et propagationis, quam talis species natura sua postulat. Sicut, quod ad hominis generationem requiratur infusio animae per creationem non est imperfectio aut inordinatio naturae, sed conditio naturaliter consequens ad talem hominis naturam, et ideo non est extraordinaria illa actio, sed debita ex communi lege, supposita institutione talis naturae; sic ergo in praesenti dicendum est, non omnino eadem, sed proportionali ratione. Quocirca, sicut in homine non est ex imperfectione quod unus homo neque principaliter neque instrumentaliter possit efficere animam suae similem, ita in aliis animalibus non est ex imperfectione quod non possint totam virtutem principalem ad eductionem suarum formarum necessarium adhibere, sed solum instrumentariam. Nam veluti medium quemdam locum obtinent, et quia comparatione animae rationalis minus perfectas animas, utpote materiales, habent, ideo aliqualem efficientiam, saltem instrumentalem, adhibere possunt ad illas efficiendas, quod non potest homo; quia vero comparatione inanimatorum longe perfectiones sunt formae viventium, ideo plura requiruntur ad earum effectionem et exquisitus ac peculiaris modus generationis; et inde provenit ut causae particulares non possint adhibere totam virtutem principalem, sed tantum instrumentalem ad illas efficiendas. Nec vero, quia principalis virtus non invenitur in eis sufficiens, ideo neganda est eis etiam instrumentaria actio, quia ad hanc inveniuntur sufficienter proportionatae, et non ad illam; natura autem dedit unicuique speciei corruptibili virtutem et actionem ad propagandam naturam suam, quantum dare potuit iuxta capacitatem et modum operandi eius; et ideo dedit homini ut saltem disponendo ageret, aliis ut instrumentaliter, aliis vero etiam ut principaliter. Quocirca locutio illa qua D. Thomas et alii, ut supra vidimus, vocant causas secundas instrumenta primae, secundum quamdam maiorem proprietatem verificatur in viventibus, praesertim perfectis.

42. Scio posse excogitari alios dicendi modos; nam, quia in perfectioribus animalibus semen non perficit generationem nisi ut coniunctum feminae, ideo aliqui putarunt animam ipsius feminae habere peculiarem influxum principalem in substantiali formatione foetus. De aliis vero imperfectis viventibus, praesertim plantis, dicunt aliqui formam geniti substantialiter non excedere formam ipsius seminis, ut apparet in tritico et aliis eiusmodi. Sed haec et similia plures habent difficultates, quas hoc loco persequi non licet, quia pendent multum ex scientia de anima, et ideo omnium probabilior videtur sententia quam exposuimus, et ipsamet experientia docet haec viventia esse per se minus sufficientia maioribusque auxiliis indigere, non solum ad substantialem formam inducendam, sed etiam

ad materiam disponendam et organizandam, ut in plantis constat; immo et inter inanimata, simplicia corpora facilius generantur quam mixta; nullum ergo est inconveniens fateri indigere viventia concursu superiori ad sibi similia generanda, quamvis ipsa non careant aliqua virtute et actione sibi proportionata et connaturali. Atque hoc modo abunde satisfactum esse putamus fundamentis prioris sententiae; probant enim secundam et quartam assertionem nostram, nihil tamen urgent contra primam et tertiam, ut in discursu illarum satis declaravimus. Secundam autem sententiam non existimamus esse contrariam doctrinae a nobis traditae, nec fundamenta eius aliquid obstare possunt, ut ostensum est.

## *SECTIO III*

## *QUODNAM SIT PRINCIPIUM QUO SUBSTANTIAE CREATAE EFFICIUNT ACCIDENTIA*

1. *Quae utrinque dubitationis causae*.— Ratio dubitandi est quia vel substantia efficit accidens medio accidente vel se sola et per seipsam. Si primum dicatur, sequitur processus in infinitum; nam si unum accidens fit mediante alio, peto de illo alio quo principio fiat; si medio alio accidente, de illo redit eadem quaestio; si vero sistimus in aliquo quod proxime fit a substantia, id debuisset dici de primo, quia non est maior ratio de uno quam de alio. Si autem ob hanc rationem dicatur substantiam efficere accidens per seipsam, sequitur primo nullum accidens esse principium efficiendi aliud. Sequitur secundo potentias et facultates ad operandum in substantiis creatis non esse aliud ab earum formis. Vel certe, si ad evitanda haec incommoda dicantur quaedam accidentia fieri immediate a substantia per seipsam, alia vero mediis accidentibus, oportebit huius distinctionis et discriminis aliquam rationem reddere, et quaenam accidentia uno vel alio modo fiant aperire. Ac rursus exponere oportebit, quando unum accidens est *principium quo* efficiendi aliud, an sit principale vel instrumentale. Hinc enim apparet accidens ad summum posse agere ut instrumentum substantiae, quia solum est entis ens (ut loquuntur philosophi), et a substantia et propter substantiam tamquam propter finem habet totum suum esse. Aliunde tamen videtur debere esse principium principale, cum effectus non excedat perfectionem eius.

2. Ad hanc rem explicandam suppono duobus modis posse fieri accidentia: Uno modo, per propriam actionem, ut cum fit lumen per illuminationem aut Ubi per proprium motum localem. Secundo, per resultantiam naturalem, ut relatio resultat ex fundamento posito termino (si est modus a fundamento distinctus), vel sicut resultat figura ex divisione, aut ex motu vel termino motus localis, et propriae passiones rerum censentur etiam hoc modo fieri. Tertio autem modo posset intelligi fieri accidens concomitanter cum substantia absque resultantia ex illa, ut quantitas, verbi gratia, cum materia prima, quem modum nunc omittimus, quia si verus est, ad alterutrum ex praecedentibus revocari potest, ut explicabimus, et quia in eo productionis modo, quod fuerit principium efficiendi substantiam erit principium efficiendi accidens, quod cum illa fit.

### *Prima assertio de naturali dimanatione*

3. Dico ergo primo: quando accidens fit per naturalem dimanationem, principium proximum illius secundum talem efficientiae modum, quicumque ille sit, potest esse substantia, si tale accidens sit immediate connexum cum illa; interdum vero potest resultare medio accidente, si cum illo habeat propinquiorem connexionem. Tota haec conclusio communiter recepta est, et potest. primo inductione declarari; nam intellectus, verbi gratia, proxime manat a substantia. animae, et quantitas a materia vel a forma. Unde respectu harum proprietatum non potest assignari aliquod principium intrinsecum accidentale; est ergo substantiale. At vera figura, verbi gratia, aut Ubi resultat media quantitate, et albedo resultat ex tali mixtione primarum qualitatum. Hanc etiam conclusionem probat ratio dubitandi in principio posita, quia si accidens convenit substantiae ab intrinseco, non potest semper convenire medio accidente, ut intrinseco principio eius, sed aliquod accidens et substantia debent esse necessario immediate connexa; non est tamen necesse ut omnia intrinseca

accidentia sint eiusmodi. Et ratio diversitatis inter ea est facilis, quia quaedam eorum habent immediatiorem ordinem ad substantiam quam alia.

4. Video responderi posse licet aliquod accidens sit intime et immediate connexum cum substantia, non esse tamen necesse ut connectatur per dimanationem effectivam accidentis a substantia, sed solum propter naturalem aptitudinem et inseparabilitatem, sicut superius dicebamus probabiliter opinari nos posse de materia et quantitate. Et iuxta hoc non erit necessarium aliquod accidens dimanare immediate a substantia, sed recipi immediate in substantia ab eodem agente a quo substantia producitur. Nihilominus tamen supponit conclusio posita contrariam sententiam ut probabiliorem, nimirum proprietates accidentales, praesertim illas quae consequuntur aut debentur rei ratione formae, causari a substantia non solum materialiter et finaliter, sed etiam effective per naturalem resultantiam, vel immediate, si sit prima proprietas, vel mediate, si sit secunda. Quod tenet D. Thom., I, q. 77, a. 6, ubi loquitur de potentiis animae; est autem eadem ratio de quacumque forma et proprietatibus consequentibus illam seu debitis ratione illius. Estque hoc valde verisimile, quia cum forma substantialis sit ut actus primus, accidentalis vero ut secundus, probabile est habere formam substantialem aliquam vim ut ab ea manent accidentia sibi propria. Item, quia hoc modo melius intelligitur naturalis connexio inter formam et proprietates, et ordo per se inter illas. Et hoc valde confirmat sensibile exemplum aquae reducentis se ad pristinam frigiditatem; illa enim reductio fieri non potest nisi per naturalem resultantiam a forma, ut in superioribus ostensum est; ergo eadem ratione idem sentiendum est de quacumque proprietate naturaliter connexa cum forma, praesertim si aliunde nulla sit repugnantia aut dependentia ab aliquo extrinseco. Et in illo exemplo aquae manifeste constat veram esse conclusionem positam, scilicet aliquod accidens posse immediate resultare effective a substantiali principio. Nam illa intensio frigoris nullum habere potest propinquius principium unde resultet quam sit forma substantialis aquae.

5. *Naturalis resultantiae quidditas declaratur.— Caietani opinio.—* Sed antequam ulterius procedamus, declarare semel oportet quidnam sit haec naturalis resultantia, an, scilicet, sit vera efficientia et causalitas activa necne. Quia, si est vera efficientia, interveniet ibi propria actio accidentalis; nam causalitas effectiva in actione consistit, ut infra videbimus; atque ita forma substantialis erit principium immediatum et unitum alicuius actionis accidentalis, et multiplicabuntur actiones in productione formae et proprietatum eius, eritque per se actio ad haec omnia quae comproducuntur vel concreantur cum aliis, quae omnia videntur aliena a communi philosophorum doctrina. Si autem illa non est vera efficientia, ergo neque efficientia dici potest, quia quod non est verum aurum absolute non est aurum, neque tale dici potest nisi propter aliquam analogiam et proportionem, quae in praesenti nulla apparet; immo neque intelligi potest quid sit haec resultantia, si non est efficientia. Circa hoc Caietan., I, q. 54, a. 3, indicat hanc dimanationem esse naturalem sequelam absque operatione media; non tamen declarat quid sit illa naturalis sequela, aut quomodo fiat sine actione vel operatione media. Et q. 77, a. 1, ad 2 et 3, expresse ait hanc resultantiam esse per efficientiam sine actione media, et putat esse sententiam D. Thomae, ibi, ad 3, ubi tamen non ait dimanationem accidentium a subiecto esse sine actione, sed *non esse per aliquam transmutationem, sed per naturalem resultationem*.

6. Quocirca, si in rigore loquamur, verius existimo hanc resultantiam non esse sine vera actione, quamquam non semper reputetur actio per se distincta, neque ut propria mutatio. Hoc, ut existimo, satis probat in communi ratio facta, quia aut haec est vera efficientia vel nulla; non potest enim dari medium. Si ergo est vera efficientia, intervenit actio. Si non est efficientia, neque etiam est resultantia aut naturalis sequela causalis, sed illativa tantum, quia, posito uno, ponitur aliud propter naturale debitum. Sicut inter materiam et formam caeli est naturalis illatio, non tamen dimanatio unius ab alia. Aliqui videntur inter haec assignare medium, dicentes hanc non esse efficientiam, sed quasi efficientiam, quae in hoc solum consistit quod causa efficiens substantiam, ratione illius determinatur ut ei det proprietates proportionatas. Sed imprimis haec revera nulla efficientia est, sed solum connaturalitas, quae inter potentiam passivam naturalem et actum etiam intercedit. Deinde exemplum de reductione aquae cogit ut maiorem ac veriorem efficientiam fateamur. Denique, etiam illo posito, necesse est dicere, quod ad rem spectat, causam efficientem

substantiam concomitanter efficere proprietatem distinctam, non tamen sine actione concomitante, quia repugnat rem distinctam fieri sine distincta actione quando ex illa re non componitur ipse primarius terminus alterius actionis, quia actio solum est quidam modus ipsius termini formalis ac per se, ut infra dicam, quam rationem statim amplius declarabo.

7. *Duplex dimanationis naturalis modus*.— Praeterea argumentor in hunc modum: nam haec naturalis resultantia interdum per se sola fit et separatim a productione illius rei a qua resultat; interdum vero ita est coniuncta cum illa ut nunquam sit posterior, sed omnino simul cum illa, ut, verbi gratia, quando aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, illa est naturalis dimanatio, ut Caietanus fatetur, dicta q. 54, a. 3, in fine, ubi etiam idem ait de motu gravis geniti in superiori loco, qui, ablato impedimento, naturaliter resultat ex gravitate. Quotiescumque autem resultantia fit hoc modo, evidentissimum est non fieri sine efficientia et vera actione ac mutatione, ut in dictis exemplis manifeste patet; et ratio est quia ibi incipit esse aliquid in subiecto, quod antea non erat. Et per se incipit absque nova productione alterius rei; ergo incipit per aliquam efficientem causam et per propriam actionem ac mutationem; unde illa est propria frigefactio et motio localis. Atque eadem ratio est quotiescumque aliquod accidens de novo advenit alicui subiecto praeexistenti per se solum seu absque alio priori accidente; nam, si plura simul inter se connexa adveniant, illud, quod est primum et radix aliorum censetur per se advenire, reliqua concomitanter. Dices: ergo, quando relatio advenit fundamento ex positione termini, intervenit ibi nova actio per se, quia solum illud accidens relativum tunc de novo advenit tali subiecto. Respondent aliqui concedendo sequelam; alii negant, quia satis est quod resultet ex positione termini. Alii existimant nullam ibi intervenire actionem, quia huiusmodi relatio non est res aut modus ex natura rei distinctus a fundamento, de quo suo loco videbimus.

8. Ex hac vero resultantia, quae tempore separatur a productione, ferendum est iudicium de quacumque alia, etiamsi sit in eodem instanti coniuncta; nam simultas in duratione non tollit distinctionem. Eo vel maxime quod, licet haec naturaliter sint simul, possent supernaturaliter separari, quod est sufficiens argumentum distinctionis. Assumptum declaratur; nam dum creat Deus substantiam animae, posset suspendere emanationem potentiarum ab illa et post aliquod tempus permittere illam seu dare concursum ad talem dimanationem, et tunc illa posterior dimanatio esset propria efficientia ac vera actio, eadem ratione qua dictum est de frigefactione aquae reducentis se ad naturalem statum; ergo, etiam quando simul tempore fit, est propria et distincta actio. Praeterea, supra tacta est ratio a priori, quia huiusmodi accidentales formae seu proprietates sunt res distinctae a substantia; ergo, licet fiant cum ipsa substantia vel ab ipsa resultent, necesse est ut fiant per actionem distinctam, licet concomitantem vel consequentem aliam. Patet consequentia quia illa duo, scilicet, substantia et proprietas, non fiunt aeque primo tamquam duae partes unius compositi termini, sed absolute fit prius natura substantia et deinde resultat vel additur ei accidens proprium. Ut cum creatur anima, actio creativa[4] per se terminatur ad solam substantiam; illa enim tantum ex nihilo fit et per se terminat illam actionem; ergo ut ei addatur aliqua res distincta, necessaria est alia efficientia, et consequenter nova actio, licet ex naturali connexione necessario comitetur aliam. Adde principium proximum talis efficientiae, iuxta nostram sententiam, etiam esse distinctum; nam est ipsamet intrinseca substantia, quae est terminus prioris actionis. Item principium materiale saepe est diversum; ut in dicto exemplo creationis animae, nullum est materiale principium, ipsa vero substantia animae est materiale principium suarum potentiarum. Terminus etiam proprius est in re distinctus, ut supponimus; ergo intervenit ibi actio in re distincta, quamvis physice, et in communi modo loquendi, tamquam una computentur, quia habent intrinsecam connexionem et dimanationem.

9. *Discrimen notandum inter praedictos modos naturalis dimanationis*.— In quo est notanda differentia inter duos modos resultantiae naturalis, quos supra distinximus. Quando enim dimanatio talis est ut nunquam possit per se et separatim fieri, sed solum ut connexa priori actioni et termino eius, tunc illa non censetur propria et per se actio, et multo minus

[4] creativa, 1960; *alit.* creaturae. “Esta sustitución hace el párrafo ininteligible.” Cf. BHF. v. III, p. 140.

mutatio, sed quasi complementum accidentale prioris actionis. Et ideo ad huiusmodi accidentia vel proprietates dicitur non esse per se actio aut motus. At vero quando talis resultantia per se et separatim fit, ut in reductione aquae, tunc censetur per se actio et propria mutatio tendens per se ad talem accidentalem terminum. Quae differentia non est tam in re quam in denominatione sumpta ex separatione vel ex concomitantia actionum.

*Corollaria superioris doctrinae*

10. Atque ex rationibus factis colligitur, primo, tunc solum hanc resultantiam esse cum vera efficientia et actione quando id quod resultat est a parte rei distinctum ab eo a quo resultat. Nam si solum sit ratione distinctum, licet metaphysice unum dicatur consequi ex alio, non potest ibi vera efficientia intervenire nec dimanatio physica, sed solum metaphysica consecutio. Ut si dicamus ex eo quod forma est formale principium essendi resultare quod sit etiam principale principium agendi; et idem est de omnibus similibus attributis, quae iuxta nostrum concipiendi modum attribuuntur rei ut proprietates eius, licet ab hac non distinguantur actualiter in re ipsa. In his enim omnibus non potest intervenire efficientia realis, quia haec non est in conceptibus, sed in ipsis rebus. Unde necessario requirit distinctionem in re inter principium et terminum.

11. *Quae accidentia resultent a substantiali principio*.— Secundo infertur ex iisdem principiis hanc resultantiam naturalem a principio substantiali solum intervenire inter ea accidentia quae ita sunt connaturalia ut simpliciter supponant ipsam substantiam cuius sunt proprietates. Quod ideo adverto quia, iuxta probabilem opinionem asserentem dispositiones tempore praecedentes ad formam in instanti generationis intrinsece terminari in tali gradu, quem talis forma requirit, et easdem numero manere, iuxta illam (inquam) opinionem, haec accidentia in instanti generationis non manant a forma, etiamsi sint proprietates maxime connaturales illi, ut est calor respectu formae ignis vel frigus aquae, non quia talis forma non esset sufficiens ad illam effectionem per modum resultantiae, sed quia supponitur qualitas iam per se producta ab agente per totam mutationem tempore praecedentem et terminatam in instanti generationis, prius natura quam introducatur forma.

12. *Quaestiunculae respondetur*.— Sed quaeres, esto non interveniat haec resultantia in instanti generationis, an immediate post intercedat per modum conservationis. Respondeo hanc quaestionem non esse peculiarem de his qualitatibus quae ordine naturae antecedunt, sed de omnibus proprietatibus quae a principio resultant ex formis quaeri similiter posse an illa resultantia sit tantum per modum productionis in primo instanti vel tempore quo res producitur vel comproducitur, an vero perseveret per modum conservationis toto tempore quo durat ipsa proprietas, ita ut sicut in illuminatione non tantum perseverat lumen, sed etiam actio illuminandi, ita in anima habente intellectum non tantum perseveret intellectus, sed etiam emanatio intellectus ab anima, et similiter in igne vel aqua non solum perseveret calor aut frigus, sed etiam actualis emanatio a sua forma. In qua dubitatione nihil video posse certa ratione definiri, sed utrumque posse coniecturis fieri probabile; nam postquam illa proprietas semel effecta est per naturalem dimanationem, non est cur indigeat continua conservatione, cum iam habeat esse perfectum et sit in suo subiecto connaturali. Aliunde vero apparet probabile illam actualem dimanationem non cessare, quia principium eius est praesentissimum et coniunctissimum et semper habet eamdem vim ad continuandam illam. Item, necesse est ut illa proprietas actu conservetur a Deo; ergo, cum sit ibi principium intrinsecum et proximum, quo mediante possit conservari, magis naturale est ut illo mediante conservetur. Item, hoc modo melius explicatur maior resistentia, quae, caeteris paribus, esse potest in expellenda proprietate a proprio subiecto quam ab alieno. Unde haec pars videtur verisimilior, qua supposita, consequenter dicendum est, licet in primo instanti generationis aquae, verbi gratia, frigiditas non manet a forma eius, quia iam invenit aqua frigiditatem productam a generante, deinde vero, cessante iam actione generantis, conservari ab intrinsece forma per naturalem dimanationem, eodem modo ac si a primo instanti ab illa manasset.

13. *Unitas et distinctio naturalis resultantiae.*— Tertio infertur ex dictis hanc emanationem seu resultantiam naturalem esse aliquid in re distinctum et a forma resultante et ab illa a qua resultat, et ab actuali etiam informatione, nam haec omnia intervenire possunt

absque naturali resultantia; ergo est aliquid distinctum ab illis. Antecedens patet; nam frigus est in aere actu informans illum estque accidentaliter coniunctum formae eius; et tamen non manat ab eius forma; calor vero est etiam coniunctus et informat, et praeterea dimanat a forma; ergo aliquid addit dimanatio. Dices: licet hoc ita videatur comparando accidens proprium ad extrinsecum, tamen in ipso accidente proprio non videtur resultantia haec aut dimanatio esse aliquid distinctum ab ipso ut actu informante. Sed contra hoc est primo, quia aliud est informare, aliud dimanare; illud pertinet ad rationem causae, hoc ad rationem effectus. Secundo, in exemplo supra posito de dispositione ultima, quae in primo instanti non manat a forma, invenitur accidens proprium actu informans et coniunctum propriae formae et ab illa non resultans, quae tamen in tempore subsequenti resultat seu conservatur; ergo haec resultantia est aliquid distinctum ab accidente proprio actu informante. Tertio, declaratur in hunc modum; nam haec resultantia, cum sit quoddam efficientiae genus, non fit sine concursu primae causae; potest ergo Deus suspendere hunc concursum et impedire ne intellectus, verbi gratia, manet ab anima, et deinde per solam suam efficaciam ponere intellectum in anima, quia nihil repugnat quod se solo faciat quod mediante anima fieri potest, praecise considerata ratione efficiendi; ibi ergo manet substantia animae et entitas atque actualis inhaesio intellectus absque actuali dimanatione intellectus ab anima, sed a solo Deo; ergo signum est illam dimanationem esse aliquid distinctum; quidquid enim est in re separabile, distinctum etiam esse necesse est. Atque hinc confirmatur quod supra diximus, nempe hanc naturalem resultantiam non esse sine aliqua actione; nam id, quod addit resultantia supra entitatem formae accidentalis inhaerentis, solum est quidam modus dependentiae intrinsecae proprietatis a sua forma ut a principio activo; dependentia autem a principio agente et actio idem sunt, ut infra videbimus.

14. *Occurritur obiectioni*.— Sed obiicies: ergo omnis actio quae naturaliter et sine libertate fit est naturalis quaedam resultantia, quia sicut posita aquae forma resultat per veram actionem et dependentiam talis proprietas, et ab una proprietate interdum etiam resultat alia, ut docet D. Thom., I, q. 77, a. 7, ita posito sole, verbi gratia, resultat naturaliter lumen in aere, media illuminatione. Respondeo quoad hoc esse aliquam similitudinem; differentiam tamen esse, quia resultantia naturalis est omnino intrinseca et quodammodo pertinet ad consummatam rei productionem, quia solum tendit ad constituendam rem in connaturali statu per se sibi debito ex vi generationis; actio vero proprie dicta et quae a naturali resultantia distingui solet est magis extrinseca et supponit, per se loquendo, rem iam constitutam in suo perfecto et naturali statu. Unde etiam communiter dici solet naturalem resultantiam tribui generanti et non esse a forma vel proprietate intrinseca nisi quatenus vicem obtinet generantis et est quasi instrumentum eius. Unde est illud axioma: *Qui dat formam dat consequentia ad formam*, quia ad generantem spectat constituere genitum cum debitis proprietatibus; in reliquis vero actionibus propriis iam operatur res propria virtute, et ut principali agenti in suo genere tribuitur actio. Et hinc oritur alia differentia, quam statim attingemus; satis enim de naturali resultantia dictum esse existimamus.

*Secunda assertio de propria efficientia accidentali*

15. *In actionibus corporum probatur conclusio*.— Dico secundo: quando accidens fit per propriam actionem a naturali resultantia distinctam, principium proximum efficiendi illud semper est aliquod accidens. Haec assertio tangit quaestionem communem de distinctione potentiae activae a substantia in rebus creatis, quae solet tractari tam de substantia angeli et potentiis eius quam de anima et eius potentiis, de aliis etiam formis et earum virtutibus activis. Et conclusio posita est consentanea doctrinae D. Thomae, ubique constituentis distinctionem in omnibus creaturis inter proximam facultatem agendi et substantialem formam, ut videre licet in I, q. 54, a. 3, et q. 77, a. 1, quibus locis Caietanus eam defendit, et Capreolus, In I, dist. 3, q. 4; Soto, in Logica, c. de Propr., q. 2; Aegidius, Quodl. III, q. 10; Hervaeus, Quodl. I, q. 9; et probatur prima inductione facta in omnibus effectibus quos experimur. Nam imprimis videmus elementa nullam efficientiam accidentalem exercere nisi mediis qualitatibus primis, quas esse vera ac propria accidentia

manifestum est. Deinde ipsum etiam localem motum naturalem non habent nisi mediis qualitatibus; quamquam enim ille motus ad naturalem resultantiam pertineat, potest tamen inde argumentum a fortiori desumi. Praeterea caelum, quantum nos experiri possumus, agit per qualitates a sua substantia distinctas, nempe per lucem seu lumen, et inde sumimus argumentum alias influentias occultiores proxime fieri per qualitates accidentales; nam si illa, quae videtur omnium maxima et perfectissima, ita fit, multo magis aliae. Rursus mixta inanimata, ut metalla, gemmae, et alia huiusmodi, si quas actiones habent, videntur manifeste illas exercere per virtutes accidentales, cuius signum inter alia est quod illae virtutes possunt intendi, remitti ac destrui, in quo. pendent a temperamento primarum qualitatum. Quod argumentum fieri etiam potest in herbis et plantis, quae virtutes habent ad varias admirabiles actiones attrahendi aut expellendi, et quaedam habent virtualem calorem, aliae frigus, etc.; quae virtutes in eis temporis discursu vel mutatione sui temperamenti remittuntur, cum tamen substantia maneat eadem; signum est ergo has virtutes esse accidentia. Mysterium etiam Eucharistiae hoc nobis confirmavit; nam videmus, seclusa substantia, conservatam esse totam vim agendi, quae erat in accidentibus.

16. *In actionibus etiam spirituum*.— Hinc ulterius ascendendo ad actiones animae in quolibet gradu eius, quantum ex sensu coniicere possumus, principia accidentalium operationum accidentia etiam sunt, ut patet de calore vitali seu nutrimentali et de virtute attrahendi alimentum aut expellendi excrementum et similia; nam imprimis ipsa diversitas actionum videtur esse sufficiens argumentum distinctionis inter virtutes. Et praeterea hic etiam habet locum argumentum factum quod hae virtutes intenduntur et remittuntur. Deinde in operationibus sensuum videtur hoc manifestum; nam praeter diversitatem operationum ipsa diversitas organorum indicat satis virtutes proximas illarum actionum esse per se distinctas, atque adeo esse accidentales. Et in homine certe necessario debent esse ab anima distinctae; alioqui essent spirituales entitates, quod verisimile non est, ut suo loco latius est probandum. Iam vero de ipsis spiritualibus actionibus et principiis earum non possumus nos tam claram experientiam habere; tamen, quia de illis non possumus, nisi ex his quae experimur, observata proportionali ratione, philosophari, merito colligimus de illis idem esse ferendum iudicium.

17. *Potentia activa omnis realiter a substantia distincta*.— Ex hac igitur inductione satis probabiliter colligit D. Thomas in omni supposito creato proximam virtutem agendi et operandi esse distinctam a substantia eius, et consequenter esse accidens. Addendum vero est omnem efficientiam substantiae, praeter generationem substantialem, esse efficientiam alicuius accidentis, quia substantia non potest efficere substantiam nisi per generationem; et ideo quidquid praeter generationem substantialem efficit, totum illud est accidens; ergo principium proximum efficiendi accidens semper est aliud accidens. Unde confirmatur; nam principium proximum efficiendi ipsam generationem substantialem est accidens, idque dupliciter. Primo, parando viam ad generationem substantialem, praevia aliqua accidentali actione. Secundo, cooperando instrumentaliter ipsi substantiae in eductione formae substantialis, ut superiori sectione vidimus. Ergo multo magis erit principium proximum efficiendi omnem accidentalem actionem, sive principale sive instrumentale, quod statim videbimus. Patet consequentia, quia magis improportionata est substantia ad accidentalem actionem quam ad substantialem generationem; et e converso magis proportionatum principium est accidens ad accidentalem actionem quam ad substantialem generationem.

18. *Rationes praedictae illationis*.— Ratio autem a priori difficile redditur, quamquam D. Thom. plures probabiles afferat citatis locis, quas Scotus et alii multis argumentis impugnant. Caietanus vero, post Capreolum, fuse et copiose satis eas defendit, sed id et operosum et inutile esse existimo, quia revera illae non sunt demonstrationes neque est cur a prudenti philosopho in re tam abdita expetantur. Nisi enim probetur excedere perfectionem substantiae creatae esse proximum et unicum principium accidentalis actionis non potest a nobis reddi ratio a priori cur hae creaturae, quae nunc sunt et operantur, semper indigeant accidentali principio ad huiusmodi operationes, quia nos non cognoscimus proprias rationes harum creaturarum ut ex eis peculiares causas huius indigentiae seu necessitatis sumamus; ergo si a priori procedamus, necessario sistendum est in communi ratione creaturae ut sic, ut sapienter D. Thomas observavit. At si ex generali ratione creatae

substantiae fundamentum sumitur, consequenter dicere necesse est esse impossibile creare Deum substantiam quae per seipsam solam immediate operetur. Quod tamen difficile suaderi aut probari potest, quia ille modus operandi non videtur exigere infinitam perfectionem in genere entis aut substantiae; omnis autem perfectio, quae hanc illimitationem non requirit, videtur communicabilis creaturae; si autem communicabilis est, unde constat non esse communicatam? Aut quomodo ex generali ratione creaturae ostendi potest dicta necessitas?

19. *Inductio in actionibus ad generationem substantialem ordinatis*.— Nihilominus dicendum est, licet hoc demonstrari non possit, ex inductione facta probabiliter satis colligi substantiam creatam ex limitatione sua habere ut per sese non possit esse principium totale ac proximum accidentalis actionis seu formae. Cuius ratio esse videtur improportio et distantia quae est inter tale principium et talem actionem ne possint coniungi nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est facultas seu potentia accidentalis. Et ideo sola substantia infinita, quae omnem proportionem excedit omnemque vincere potest improportionem, sufficiens est per seipsam ad omnem huiusmodi effectum vel actionem. Possumusque hoc ita confirmare, quia omnis operatio substantiae, praeter substantialem generationem, aut tendit ad substantialem generationem efficiendam aut non. Actio quae est prioris generis merito requirit principium proximum accidentale, quia est accidentalis dispositio ad substantiam. Nam si substantia quae generatur talis est ut sine dispositionibus accidentalibus praeviis fieri non possit, quid mirum quod substantia quae illam generat, accidentales etiam dispositiones requirat, quae simul sint virtutes agendi et disponendi ad similis substantiae generationem? Dices hanc rationem recte procedere de agente univoco et eiusdem rationis, non vero de aequivoco, in quo potest esse virtus altioris rationis. Respondetur si agens aequivocum sit finitum, ut de illo nunc agimus, proportionaliter iudicandum esse de illo ac de univoco agente; nam si eminenter continet formam substantialem rei generandae per formam substantialem suam, dispositiones etiam accidentales ad illam formam continebit eminenter per nobiliorem dispositionem seu proprietatem accidentalem suam; nam cum forma substantialis sit in suo genere limitata et finita, non potest per se solam eminenter continere perfectiones diversorum generum neque esse per se apta ad utramque actionem. Quod etiam satis declarat modus agendi omnium corporum, tam inferiorum quam caelestium, ut inductione supra facta expositum est. Sicut enim nulla est forma substantialis, cuiuscumque ordinis aut perfectionis sit, quae non habeat in sua materia dispositiones seu proprietates sibi proportionatas, ita nulla est forma quae ad disponendam aliam materiam ad aliquam formam substantialem, sive aequalem sive, inferiorem, non utatur propriis dispositionibus vel proprietatibus accidentalibus, ut propriis agendi principiis.

20. *In operationibus non ordinatis ad substantialem generationem.*— Operationes autem quae non ordinantur ad substantialem generationem, quantum ex rerum experientia coniectare possumus, solum sunt aut operationes vitae sensitivae et intellectivae, aut varii ac diversi motus locales. Omitto illuminationem et intentionales actiones specierum sensibilium, nam de his satis constat ab accidentibus sensibilibus fieri. Neque etiam numero operationes vitae vegetativae, quia omnes per se tendunt ad aliquam aggenerationem substantialem. De qua eadem est ratio quae de prima generatione; nam etiam fit, praevia alteratione et dispositione accidentali, intervenientibus etiam aliquibus localibus motibus, attractionis, scilicet, et expulsionis. Aliae vero actiones et operationes transeuntes, etiamsi fiant per eminentes virtutes, semper fiunt aut alteratione per se primo terminata ad aliquam ex primis qualitatibus, de quibus iam ostensum est principia proxima earum esse aliqua accidentia, aut solum consistunt in motu locali attrahendi aut impellendi, etc. Quod igitur ad operationes cognoscendi et amandi in gradu sensitivo requirantur facultates accidentales, ratio imprimis sumi potest ex ipsa varietate operationum et ex varia dispositione, quam in suis organis requirunt. Item, ex eo quod tales actiones immanentes sunt in ipsis principiis proximis a quibus eliciuntur; unde, si illae potentiae nihil aliud essent quam ipsaemet formae substantiales, omnes illae operationes manerent in solis substantialibus formis. Ex quo ulterius fieret quod tales operationes in homine essent spirituales, sicut est ipsa forma. Immo etiam fieret ut semper et in omnibus deberent esse spirituales; nam omnis forma habens operationem propriam et independentem a materia ut a subiecto debet esse per se subsistens

et independens etiam in suo esse a materia ut a subiecto; nam independentia in operatione indicat qualis sit independentia in esse. Et hoc est potissimum principium unde colligimus humanae animae subsistentiam et immaterialitatem, scilicet, quia operatio eius intellectualis non dependet a corpore ut a subiecto, quamvis pendeat ut a ministrante species. Si ergo operatio sensitiva eodem modo esset independens a materia, omnis etiam anima sensitiva esset independens, et ita utraque esset immaterialis et spiritualis. Igitur ex modo talis operationis materialis optime colligitur formam substantialem non esse per se aptam ad exercendam talem operationem absque facultate media, quae etiam debet esse materialis et adveniens materiae ut iam informatae tali substantiali forma.

21. *In operationibus intellectualibus*.— In operatione autem intellectuali non procedit haec ratio sumpta ex materialitate actionis; procedit autem alia de diversitate operationum; et in anima rationali est alia peculiaris ratio, quia per suam entitatem substantialem informat corpus; non autem informat per intellectum aut voluntatem, quia hae potentiae ideo non sunt organicae, quia materiam non informant. Quae ratio non comprehendit angelos, et ideo in eis est haec res magis dubia, ut Durandus voluit et infra suo loco videbimus. Nihilominus tamen generalis illa ratio etiam in eis est satis efficax, quae sumitur ex diversitate operationum; nam ubicumque operatio intellectualis accidentalis est, est magna diversitas in operationibus illius gradus, praesertim in operibus intellectus et affectus; ergo, cum substantia creata sit de se indifferens ad huiusmodi operationes eliciendas et recipiendas, verisimilius est ad illas determinari et quasi accommodari per proprias facultates et potentias. Item, omnis substantia intellectualis, hoc ipso quod creata est, necessario habet operationem intellectualem accidentalem, ut de homine constat et de angelis infra suo loco ostendemus. Indiget etiam aliis principiis accidentalibus ut speciebus intentionalibus et habitibus; quid ergo mirum quod indigeat virtute accidentali proportionata operationi? Eo vel maxime quod omnis natura intellectualis debet in se habere virtutem per se primo ordinatam ad operationem intelligendi vel amandi, quia, cum instituatur propter hanc operationem, non debet institui absque virtute per se primo ordinata ad illam. Virtus autem per se primo ordinata ad operationem accidentalem, cum ab illa sumat speciem, accidentalis etiam est. Et huc tendere videtur ratio D. Thomae quod essentia substantiae creatae ut sic tantum ordinatur ad suum esse, virtus vero ordinatur ad operationem accidentalem, et ideo distinguuntur ad eum modum quo distingui solent potentiae per varios actus. Quamvis enim haec ratio videatur supponere essentiam creatam distingui ab esse et comparari ad illud tamquam potentiam receptivam vel activam ad actum, tamen, abstrahendo ab hac quaestione, potest dicto modo accommodari ratio.

22. *Virtutes loco motivae a substantia realiter distinctae*.— Atque hinc tandem facile suaderi potest virtutes quae sunt in rebus creatis ad varios locales motus efficiendos esse accidentales. Primo quidem, quia si praecipuae operationes et magis intimae ac vitales requirunt huiusmodi facultates, ergo multo magis motus locales. Secundo, quia in rebus naturalibus experimur motum localem, etiam maxime naturalem, fieri media facultate accidentali, ut gravitate aut levitate; ergo multo magis, cum magnes trahit ad se ferrum aut rhabarbarum pellit bilem, id faciunt facultatibus accidentalibus; idem ergo erit in omnibus similibus. Tertio, quia motus localis, quamvis in hoc sit perfectior caeteris, quod minus transmutat substantiam aut subiectum, tamen in hoc maxime a substantia distare videtur quod neque ad illam per se ordinatur neque cum illa fere habet convenientiam aut similitudinem, et ideo mirum non est quod forma substantialis per seipsam non sit apta ad hunc motum efficiendum absque facultate accidentali. Constat igitur in universum agentia creata efficere accidentia per principia proxima accidentalia.

23. *Quid auctores praedictae illationis asseruerint, et eorum fundamenta*.— Non defuere philosophi et theologi qui, saltem ex parte, huic conclusioni contradixerint, vel tractando de potentiis animae vel de potentiis angelorum, ut patet ex Gregorio, In II, dist. 16, q. 3; Scoto, q. unica, et In IV, dist. 45, q. 3; Durando, In I, dist. 2, q. 2, et In II, dist. 3, q. 5; Marsilio, In I, q. 7, a. 7, et In II, q. 17, a. 2; et aliis philosophis, In II de Anima, cum quibus ibi agendum est; et de angelis infra nonnihil dicemus. Solum nunc adverto esse differentiam inter Scotum ac Gregorium et sequaces, quod Gregorius nullam omnino ponit distinctionem in re inter formas et facultates earum. Unde fit ut concedat animam per idem principium

proximum intelligere, velle, videre, audire, etc., quod satis absurdum est. Scotus autem, ad hoc vitandum, posuit distinctionem formalem inter potentias et formas. Sed si per distinctionem formalem intelligat Scotus distinctionem quae in re non sit actu, sed ad summum virtute et fundamentaliter, ac mente perficiatur, solum in modo loquendi differt a Gregorio et aliis; si vero intelligat veram distinctionem actualem quae in re sit, saltem modalem, primum non contradicit conclusioni positae, quia modus ille accidens quoddam erit, quod satis est ad veritatem dictae assertionis. Deinde immerito negat propriissimam distinctionem realem, nam, ut statim dicam, proxima facultas operandi non est modus aliquis, sed aliqua propria entitas ac vera forma, et ideo si in re distinguitur a forma substantiali non distinguitur ut modus, sed ut res, atque adeo proprie realiter. Praesertim quia si aliquae rationes sunt quae probent distinctionem in re, non minus probant distinctionem realem quam modalem; et e contrario, si rationes quae ab ipso et aliis fiunt contra sententiam D. Thomae essent alicuius momenti, aeque procederent contra distinctionem modalem.

24. Non tamen censeo expedire nunc illa argumenta sigillatim proponere, tum quia mihi non videntur difficilia, tum etiam quia a Caietano et aliis sufficienter solvuntur, tum denique quia omnia fere eo tendunt ut probent sine necessitate non debere res multiplicari; hic autem non intervenire sufficientem necessitatem probant, vel solvendo rationes D. Thomae, vel quia substantia, cum sit nobilior, sufficere poterit ad id propter quod efficiendum accidens adiungitur. Et peculiariter urgere potest contra nos ratio sumpta ex priori assertione; nam si potentiae fluunt ex essentia per veram efficientiam, ergo continet eminenter ipsas potentias; ergo sufficiens erit per seipsam efficere quidquid per potentias potest. Respondetur tamen sufficientem necessitatem esse ut substantia creata habeat principia accommodata accidentalibus actionibus, quae necessitas sufficienter probatur inductionibus et rationibus supra factis; neque enim de omnibus rebus demonstratio fieri potest. Nec refert quod substantia sit perfectior, tum quia non semper quod perfectius est potest efficere quidquid potest res minus perfecta, tum etiam quia inde ad summum habetur substantiam esse principale seu radicale principium, non vero etiam proximum; plus autem est esse utroque modo principium quam altero tantum. Quo sensu dicere etiam possumus quid perfectius esse substantiam cum sua potentia quam solam. Denique etiam manus est perfectior quam calamus, et tamen non potest scribere sine calamo. Ad ultimam obiectionem primum occurrere possumus sensibili exemplo; nam aqua per suam formam est sufficiens ut ab illa resultet frigiditas, et tamen sine frigiditate non est sufficiens ad frigefaciendum alios. Neganda est ergo consequentia, et ratio reddi potest primo, quia virtus formae aut principia potest esse limitata, tum ad perfectionem proprii suppositi, tum ad talem modum actionis seu manationis, sicut gravitas per se movet ipsum grave in quo existit, non aliud. Secundo, quia interdum formalis potentia seu facultas est ita accommodata actioni ut non quaelibet virtualis sufficiat, ut intellectus agens, aut solus aut cum phantasmate, virtualiter continent speciem intelligibilem, et tamen non possunt per se concurrere ad intellectionem, sed per speciem quam efficiunt. Tertio et maxime, quia non censeo essentiam continere eminenter passiones, sed tantum instrumentaliter; nam ideo, ut dixi, ille effectus tribuitur generanti; fieri autem potest ut aliquid sit aptum instrumentum ad efficiendum aliud seu aliam facultatem et non ad efficiendum immediate actionem illius facultatis, ut in instrumentis artis manifeste conspicitur.

## *SECTIO IV*

## *QUAE ACCIDENTIA POSSINT ESSE PRINCIPIA AGENDI*

1. *Difficultatis ratio*.— Circa doctrinam superioribus sectionibus traditam nonnulla breviora dubia explicanda supersunt. Primum est quod in titulo huius sectionis propositum est, quod potest universe intelligi tam de activitate accidentium in substantiam quam in alia accidentia; tamen, quia accidens non efficit substantiam nisi praevia actione alicuius accidentis, ut dictum est, ideo tota quaestio revocari potest ad propriam efficientiam quam accidentia habent in alia accidentia. Et hinc nascitur ratio dubitandi, quia accidens dicitur esse proximum principium producendi accidens, ut sit proportionatum; ergo tale oportebit esse accidens quod est principium actionis qualis est terminus actionis; erit ergo quantitas

principium proximum efficiendi quantitatem et unum Ubi alterius Ubi, etc. In contrarium autem est quia, ex communi philosophorum sententia, sola qualitas est principium proximum actionis, et non omnes qualitates, sed aliquae, cuius etiam ratio investiganda est.

2. *Accidens ab accidente naturaliter emanare potest*.— In hoc praemittenda est distinctio supra posita de activitate per naturalem resultantiam vel per propriam actionem, et supponendum sermonem esse tantum de hac posteriori, quod pro tota disputatione semel dictum sit, quia illa resultantia per modum unius cum rei productione computatur; quod si aliquid singulare interdum circa illam notare oportuerit, non omittemus. In praesenti ergo, sicut supra diximus a substantia posse resultare accidens, ita a quolibet accidente poterit resultare aliud, vel realiter vel saltem modaliter distinctum, si capax sit talis proprietatis; sic enim a quantitate resultat figura vel relatio aequalitatis, si est modus distinctus; et ab una relatione, ut multi aiunt, potest resultare alia, ut a paternitate similitudo, etc. Et ratio est quia unaquaeque essentia, qualiscumque sit, potest esse principium suae proprietatis intrinsecae per naturalem resultantiam eius.

3. *Sola qualitas inter accidentia verae effectionis principium*.— De propria ergo efficientia accidentali dicendum est primo, solam qualitatem esse posse principium proximum eius. Haec assertio primum probari potest experientia; nam actiones omnes quae tendunt ad substantiam fieri solent mediis qualitatibus, vel primis vel quae eminenter contineant primas; actiones etiam vitales mediis qualitatibus fiunt; facultas etiam movendi localiter semper est aliqua potentia de praedicamento qualitatis, adeo ut etiam ad motum proiectorurn censeant philosophi necessarium esse impetum impressum qui sit qualitas motiva. Secundo, potest probari facto brevi discursu per caetera praedicamenta; quantitas enim non est productiva alterius quantitatis, ut experientia probat. Et ratio est primo, quia quantitas consequitur materiam, et ideo imitatur naturam eius estque ad recipiendum et non ad agendum. Secundo, quia quantitas revera non est per se producibilis de novo, immo (iuxta nostram sententiam) neque concomitanter, ita ut quae antea non erat, nunc esse incipiat per actiones naturalium agentium, quia existimamus quantitatem esse coaevam materiae. Sed solum fit ut quantitas quae prius erat unius rei simul cum materia incipiat esse alterius; unde si addatur rei praeexistenti, fit augmentatio, vel propria vel impropria, iuxta diversos modos illius mutationis. Semper tamen fit illa mutatio vel additio praevia alteratione et generatione vel aggeneratione, cuius principium proximum est qualitas, et ideo quantitas non habet actionem cuius possit esse principium; termini enim quantitatis, qui interdum resultant facta divisione continui, etc., magis fiunt per naturalem resultantiam quam per propriam efficientiam, de qua agimus.

4. *In relatione*.— Rursus relatio ex omnium sententia non est activa; et frequenter ratio reddi solet, quia relatio est minimae entitatis; et a fortiori id confirmatur ex relationibus divinis, quae secundum propria non sunt activae, ut theologi tradunt, ex illo certo principio quod actiones Trinitatis ad extra sunt indivisae. Sed omissis relationibus divinis (de quibus propriam rationem esse existimo quia solum sunt ad subsistendum, et subsistentia ut sic non est principium agendi, sed tantum terminus naturae, quae est principium operandi, ut latius disseritur in materia de Incarnatione et Trinitate), de relationibus creatis ratio reddi potest iuxta probabilem opinionem quia nullam rem addunt suo fundamento; unde non sunt activae, nisi ratione illius; quod si illud non sit activum, non est unde habeant efficientiam; illud autem nunquam invenietur activum nisi quando est aliqua qualitas. Accedit quod relatio, ut relatio, non potest esse principium efficiendi rem absolutam, cum sint diversi ordinis, et sit ordo praeposterus ut res absoluta consequatur relativam. Neque etiam potest relatio facere relationem, quia relatio propria non per se fit, sed quatenus resultat posito fundamento et termino.

5. *In actione.— Actiones immanentes an vera efficientia principia*.— Ulterius actio non est vere ac proprie principium agendi; nam, ut infra ostendemus, est ipsa causalitas agentis, et in hoc consistit eius ratio; causalitas autem non est principium agendi, sed est a principio quod supponit. Item, si comparetur actio ad suum terminum, non est principium agendi illud, sed via ad illud seu dependentia illius a suo principio; si vero comparetur ad res

alias, non potest per seipsam esse principium alicuius, quia nec potest esse principium alterius actionis; non enim, naturaliter loquendo, ex actione sequitur actio immediate, sed ad summum ratione termini; neque etiam potest esse principium alterius termini, quia nullum principium pertingit terminum, nisi media actione. Et nulla actio potest excedere suum intrinsecum terminum seu per seipsam alium attingere, quia cum illo identificatur et solum est quidam modus illius. Sed instabit aliquis de actionibus immanentibus, quae interdum sunt principia efficiendi aliquid; multi enim dicunt intellectionem efficere verbum realiter distinctum; alii putant cognitionem efficienter causare amorem vel delectationem; et veriora exempla sunt quod actus immanentes effective causant habitus, et interdum unus actus causat alium eiusdem potentiae, ut assensus principiorum assensum conclusionis, et intentio finis electionem medii. Hallucinantur autem qui putant in hac efficientia actum immanentem non se gerere ut principium producendi aliquid aliud, sed esse ipsam productionem eius; repugnat enim actualem productionem esse rem distinctam a re producta; habitus autem est res distincta ab actu quo producitur. Item, quia si actus comparetur ad actum, ille qui procedit ab alio intrinsece est actio immanens; ergo intrinsece ac per sese est productio quaedam; ergo alius non est productio illius. Alii propter hoc argumentum limitant assertionem, ut verum habeat extra actiones immanentes. Sed neque est necessaria limitatio, neque aliqua illius ratio probabilis afferri potest; cur enim illuminatio etiam non erit activa, aut effectus qui a lumine proveniunt non tribuentur ipsi illuminationi ut principio agendi? Verius ergo dicitur: sicut illuminatio habet suum proprium terminum intrinsecum, ad quem ipsa terminatur, hic autem est principium omnis ulterioris actionis, si quae est, quae ad rem illuminatam consequatur, ita actiones immanentes, ut actiones sunt, habere suos intrinsecos terminos, qui sunt qualitates, et has esse principia proxima ulterioris actionis, quando contingit subsequi; hoc autem ita esse, inferius probandum est latius disputando de actione; nunc autem solo argumento facto satis confirmatur; quomodo enim actus immanens esset principium producendi habitum, qui est vera qualitas, nisi ipse esset qualitas, aut cur in ipso habitu distinguimus rationem qualitatis ab intrinseca productione seu dependentia qua fit ab ipso actu, et in eodem actu non distinguemus rationem qualitatis ab intrinseca dependentia vel actione qua fit a sua potentia cum habitus et actus proportionaliter comparentur?

6. *In passione.*— De praedicamento passionis nihil fere addere oportet, quia, ut infra ostendam, actio et passio in re non distinguuntur actu, sed tantum fundamentaliter, ubi actio passionem habet adiunctam; unde, si actio non est principium agendi, multo minus passio, et rationes factae aeque applicari possunt. Solum potest obiici de motu locali, qui est mutatio quaedam et consequenter passio; nam passio et mutatio late sumpta idem sunt; motus autem causat calorem, unde videtur esse principium eius. Respondetur tamen motum localem per se nihil efficere, sed esse tantum viam ad Ubi; deservit tamen ad actiones ut conditio necessaria vel utilis, aut ad applicandum principium agendi aut ad removenda impedimenta. Et hoc modo interdum per accidens causat calorem, interdum etiam frigus, de quo alias.

7. *In situ, duratione et habitu.— Unde qualitas hanc activitatem prae caeteris hauriat.*— Praeterea de loco seu *ubi* ut sic constat non esse principium agendi; nam si locus sumatur pro superficie continente, eadem ratione non est principium agendi qua neque quantitas, quia talis locus non est aliud in re ipsa a superficie, sed addit aliquem respectum vel denominationem ad rem extrinsecam, quae omnia nihil pertinent ad rationem agendi. Dixi autem sermonem esse de loco ut sic seu quatenus locus est, quia quatenus est locus, vel naturalis vel violentus, potest habere aliquam actionem in locatum, sed illam non habet nisi ratione aliquarum qualitatum, ut ex philosophia constat. Si vero loquamur de Ubi prout est intrinseca praesentia seu modus locati, sic iam manifestum est non esse principium alicuius actionis; est quidem interdum conditio agendi propter propinquitatem, ut postea dicemus; non tamen est ratio seu principium agendi, ut experientia ipsa satis constat. Ratio autem non videtur esse alia nisi quia ille tantum est quidam modus rei praesentis et per se non affert propriam entitatem, et ideo neque activitatem per se confert. Item, quia non potest intelligi quid per se agat; non enim potest aliud Ubi producere in alio corpore; nam Ubi non fit per se

nisi per motum localem; una autem res non movet aliam localiter per suum Ubi, sed vel impellendo vel attrahendo aut alio simili modo. Ex quo a fortiori constat neque situm neque tempus seu durationem aut quando neque habitum seu esse vestitum, esse principia agendi secundum eas rationes praecisas secundum quas praedicamenta constituunt, quia situs in re non distinguitur ab Ubi nisi aliqua denominatione, relatione aut figura; habitus vero solum addit denominationem quamdam extrinsecam; tempus autem, et in universum duratio, vel non est aliquid in re distinctum a re quae durat, vel ad summum est modus, et ideo omnia ista formaliter et ut sic non sunt activa, sed res cum quibus identificantur, possunt esse activae; ut si res quae durat, est qualitas aut vestimentum, potest esse activum ratione aliquarum qualitatum. Relinquitur ergo ut inter accidentia sola qualitas sit per se principium agendi. Et ratio reddi potest quia imprimis sola qualitas praeter quantitatem habet entitatem propriam re distinctam a substantia, et ideo est propriissime forma accidentalis et proprius actus, quod necessarium est ad rationem principia agendi et ut propriam activitatem habeat. Deinde est talis entitas quae consequitur formam, et ideo imitatur naturam eius eique tribuitur ut ei sit instrumentum aut virtus proxima agendi, praesertim cum substantialis forma per se sola non sit sufficiens principium proximum huiusmodi actionum.

8. *Quot et quae qualitatis species activae sint*.— *Non figura*.— Dices: si haec ratio valida est, probat omnem qualitatem esse principium alicuius actionis, quia omnis qualitas consequitur formam, et consequenter imitari debet naturam eius. Praesertim quia, sicut forma substantialis est quidam actus, ita et qualitas; omnis vero actus sicut dat esse, ita et operari. Et confirmari potest, quia unumquodque est propter suam operationem; alioqui frustra esset, ut dicitur II de Caelo, c. 3, et I Ethic, c. 7. Nihilominus dicendum est neque omnes species qualitatis ab Aristotele numeratas neque omnes qualitates sub singulis speciebus contentas esse activas, sed solum tres primas species quoad aliquas qualitates sub eis contentas. Declaro singula: nam imprimis, ab ultima incipiendo, figura per se non est principium alicuius actionis, ut affirmat communis sententia, quae sumitur ex D. Thoma, II-II, q. 96, a. 2, ad 2, et lib. II cont. Gent., c. 76, et III cont. Gent., c. 105; et his locis Caietanus et Ferrarius. Idem habet Scotus, In IV, dist. 1, q. 4; et Caietanus Thien., IV de Caelo, c. ult.; et sumitur ex Aristot., XII Metaph., c. 3, text. 14, et VI Ethic., c. 4, et II Phys., text. 2, quibus locis ait artefacta ut sic non habere principium motus vel actionis. Huius ratio alia non est nisi quia forma, quae fit per artem, solum est figura, quae non est principium agendi. Hinc etiam D. August., lib. X de Civit., c. 9 et 11, eorum confutat errorem qui figuris seu imaginibus astronomicis vim aliquam agendi inesse putabant, inde demonstrans omnia illa fieri pacto et virtute daemonum. Ratio autem est quia figura, ut sumitur etiam ex Aristot., lib. I Phys., c. 5, text. 46, nihil rei addit quamdam compositionem aut ordinem partium, ex quo consurgit modus quidam quantitatis, qui est figura, et ideo non potest esse principium per se agendi, tum quia tantum est quidam modus, tum etiam quia est modus quantitatis et proprietas consequens illam. Unde, cum quantitas per se activa non sit, neque figura esse potest. Et confirmatur tandem, quia nihil est quod figura per se faciat, quia una figura non potest aliam similem efficere; neque enim statua faciet statuam, neque qualitatem aliquam vel quidpiam simile facere potest.

9. *Obiectio*.— *Solvitur*.— Dices: figura saltem ad motum localem multum deservit, acuta incisioni, circularis circulari motui, propter quod Albert., IV de Caelo, in fine, significat figuram acutam esse vim agendi motum, vel saltem illam cum aliis conditionibus, scilicet, gravitate et duritie, componere illam potentiam; et idem sentit Durand., In I, dist. 45, q. 2, n. 8, ubi etiam addit figuram sigilli esse per se principium similis figurae impressae in cera. Respondetur tamen huiusmodi figuras solum esse dispositiones ex parte instrumenti aut corporis ut facilius tali modo moveatur vel moveat, vel quia ipsum minus resistit dum ab artifice movetur, ut in motu sphaerae, vel quia ei minus resistitur, ut in motu incisionis; nam quo instrumentum est acutius, eo pauciores partes contingit, et ideo minorem resistentiam invenit. Et e contrario, quando incisio fit sine motu corporis scindentis per motum alterius, ut in flumine, ideo acuta figura est dispositio ad illam scissionem quia deservit ut facilius resistat aquae fluenti, eo quod per pauciores partes recte attingit rem acutam, et ita minorem impetum imprimit. Et ita etiam in figura sigilli, quia quaedam partes sunt acutiores aliis et

quaedam prominentes, aliae quasi concavae, ideo facilius scindunt aut deprimunt quasdam partes cerae quam alias, et inde consurgit figura, non quia una sit per se principium alterius, sed quia, motis secundum locum quibusdam partibus, consurgit talis figura. Cuius etiam signum est quia veluti contrario modo consurgit figura in cera quam erat in sigillo. Partes enim, quae eminebant in sigillo sunt quasi concavae in sigillato, et e converso.

10. *In primis qualitatis speciebus aliqua activa, aliqua non.*— In caeteris autem tribus speciebus qualitatis reperiuntur qualitates activae. Nam habitus potentiarum sunt principia eliciendi actus, et e converso, actus (qui in prima etiam specie collocantur et dispositiones sunt) habitus interdum efficiunt. Potentia vero est activa et actuum et habituum. Passibiles etiam qualitates activae sunt, ut de calore constat. In omnibus autem his speciebus reperiuntur aliquae qualitates quae non sunt principia agendi, ut in specie habitus, illae[5], quae proxime ordinantur ad aliquod esse et non ad operari, in quo ordine solet sanitas numerari, quae satis improprie dicitur habitus. Unde in naturalibus fortasse nullum est exemplum quod immerito aliqui adhibent de speciebus intelligibilibus; nam illae revera sunt principia agendi. In supernaturalibus vero commune exemplum est de gratia, quae est in essentia animae; sed certius est de charactere, de quo alias. In specie item dispositionis sunt multi actus qui nihil agunt, quando, scilicet, potentia, vel non indiget habitu, ut in visione, vel non tali qui possit per actus effici, ut in actibus supernaturalibus. Multi etiam actus non sunt activi aliorum actuum neque habituum, ut patet in omnibus sensibus, et in fruitione Dei, et similibus. Potentia item distingui solet in activam et passivam, inter quas passiva ut sic non est principium agendi, quamquam incertum est an detur aliqua qualitas quae sit pura potentia passiva, ut suo loco videbimus, ubi etiam tractabimus an potentia resistendi sit potentia activa an passiva. Inter passibiles etiam qualitates multae sunt non activae suarum similium, ut albedo et colores alii, quamvis efficiant intentionales species. Aliae vero utrumque efficiunt, ut lux vel calor, etc. Difficile autem est reddere rationem huius varietatis. Generalis esse videtur quia substantia ad suam consummatam perfectionem indiget tota hac varietate, et ideo diversas qualitates a natura recepit, quae pro sua diversitate ad diversos effectus ordinarentur; unde quaedam institutae sunt ad agendum, aliae ad informandam vel ornandam substantiam et quasi ultimo explendam capacitatem illius. Quae omnia pertinent ad munus formae, et ideo qualitates quae non sunt activae, neque sunt otiosae neque carent aliqua participatione vel convenientia cum forma. Et ita soluta est dubitandi ratio. In particulari vero exponere quae qualitates sint huius vel illius rationis, ad hunc locum non spectat.

## *SECTIO V*

## *UTRUM SOLA ACCIDENTIA SINE CONCURSU FORMARUM SUBSTANTIALIUM EFFICIANT ALIA ACCIDENTIA*

1. Communis modus loquendi in hac materia est accidentalem formam esse principium proximum, substantialem vero esse principale principum omnium actionum suppositi, etiam accidentalium. In quo autem consistat haec ratio principalis principii, vel quis sit influxus eius, aut Doctores id non declarant vel, si aliquid obiter dicunt, insinuant in hoc solum consistere quod forma est radix et principium facultatis accidentalis, quae illi data est a natura ut ei sit proximum principium ad eliciendam actionem. In ipso autem exercitio actionis accidentalis non creditur substantialis forma habere influxum proximum et actualem. Et ratio reddi potest, tum ex illo principio quod substantia creata non potest esse principium proximum accidentis, tum etiam quia ad efficiendum accidens sufficiens principium est aliud accidens.

2. *Ad vitales functiones non accidens solum, sed substantia etiam proxime influit.–* Nihilominus censeo distinctione esse utendum; nam inter has actiones quaedam sunt vitales,

---

[5] illae, quae... ordinantur, 1960 et 1605 (B. Colosino); ille qui... ordinatur, *ed. Vivès*. Cf. BHF, v. III, p. 163.

aliae vero minime. De prioribus dicendum videtur non solam facultatem accidentalem, sed etiam ipsam animam per substantiam suam in illas proxime in suo ordine influere. Hanc conclusionem videtur suadere experientia; nam hae actiones vitales tam intimo modo fiunt ut ab ipso primo principio vitae, quod est anima, actualiter procedere videantur; unde fit ut, licet oculus praesentem habeat imaginem et ab illa recipiat speciem, si anima non attendat, non videat. Nec refert si quis dicat id provenire ex distractione imaginationis aut sensus communis, tum quia idem argumentum faciam de sensu communi et imaginatione. Quod si dicatur tunc speciem sensibilem non transcendere sensum externum, inde sumemus argumentum contra priorem evasionem. Nam si species obiecti sensibilis praesentis et immutantis sensum externum non pervenit ad sensum internum quando anima non attendit, ideo est quia species exterioris sensus non communicatur interiori sensui nisi medio actu sensus exterioris. Ex quo fit ut exterior sensus prius natura sentiat quam interior cooperetur; nam haec cooperatio videtur subsequi operationem sensus exterioris; ergo ratio cur in praedicto casu sensus exterior non sentit non provenit ex interiori sensu, sed potius ideo interior sensus non tangitur specie illius obiecti, quia sensus exterior non percipit illud. Alia ergo causa quaerenda est cur tunc sensus exterior non efficiat suum actum, quae non videtur esse alia nisi quia tunc anima non influit nec cooperatur illi. Dices rationem esse quia non cooperatur, non quidem per suam substantiam, sed per spiritus animales, qui necessarii sunt ad sensum et motum. Sed, licet verum sit hos spiritus esse necessarios, tamen hoc ipsum confirmat argumentum et experientiam adductam. Nam ad hos actus vitales requiritur non solum proxima facultas, sed concursus etiam spirituum, qui non casu illuc confluunt, sed virtute alicuius facultatis ministrantis illos spiritus ad illum actum; ergo necesse est ut sit aliquod commune principium actu utens illis duabus facultatibus, et ex naturali inclinatione vel sympathia ordinans actionem unius ad actum alterius.

3. Praeterea hoc confirmat alia experientia, qua supra probabamus esse in homine unam tantum animam, quia nimirum ex nimia attentione ad opus unius facultatis impeditur in opere alterius, ut si nimis attente aliquid homo inspiciat, non audiet loquentem; et ne id tribuatur defectui spirituum, etiam attentio intellectus impedit operationem sensus, et quo est altior et perfectior, eo plus minuit etiam phantasiae motum aut repraesentationem, et (quod magis est) etiam opera nutritivae partis impedit vel suspendit. Si autem unaquaeque facultas sola per seipsam haberet suam operationem, nulla esset ratio cur unius operatio impediret operationem alterius; nam multiplicatis virtutibus, si una ab altera non pendet, neque ambae ab uno tertio, cuius virtus, dum utrique applicatur, minuatur in singulis, nihil est cur earum operationes non possint simul multiplicari et exerceri aeque perfecte. Praeterea sumitur a contrario optimum argumentum ex connexione operationum; nam dum intellectus intelligit, voluntas excitatur ad amandum, etc.; hoc autem ideo est quia eadem anima per utramque potentiam actu operatur, nam sola veluti habitualis radicatio seu remota dimanatio ab eadem anima non esset satis ad hanc actualem causalitatem seu motionem et excitationem, si unaquaeque operatio a sua sola potentia actualiter prodiret sine connexione in aliquo communi principio. Et inde etiam oritur dependentia inter appetitum vitae et cognitionem, ut nihil possit esse amatum nisi sit praecognitum. Ratio autem a priori sumi potest ex proprio modo operationis vitalis, quae requirit hanc intimam connexionem cum suo principali principio formali ut modo consentaneo ad naturam suam fieri possit et ut suum principium vel suppositum vitali modo efficere valeat; quantum enim experientia assequi possumus, in hoc consistit actualis vita et primaria differentia viventium a non viventibus. Et confirmatur, nam ob hanc causam censent omnes visum separatum non posse videre seu visionem elicere, neque intellectum intelligere. Contra hanc autem sententiam possunt nonnulla obiici, quae prudens omitto, quia vel difficilia non sunt vel multa necessario attingunt quae ad scientiam de anima spectant. Quod vero aliquis interrogare potest, ad quid nimirum sint necessariae facultates accidentales et vitales, si forma ista etiam actu influit, ex dictis in sectione praecedenti habet sufficiens responsum. Forma enim est veluti universale principium, potentia vero necessaria est ut particulare magisque accommodatum ac proprium, ut ibi latius declaratum est. Statim etiam alias leviores obiectiones dissolvemus.

4. *Accidens non vitale non necessario fit proxime a substantia*.— De actionibus autem accidentalibus quae vitales non sunt, dicendum est posse fieri a solis accidentibus. Hoc patet in calore, qui existens in aqua et in quolibet alio subiecto, absque forma ignis calefacit. Similiter albedo, ad efficiendam sui speciem intentionalem, non indiget superiori concursu. Item hinc oritur ut si res habeat duas qualitates activas, aeque possit utriusque simul ac alterius tantum actionem exercere, ut aqua simul frigefacit et humectat quantum potest, etc. Denique hoc probat ratio dubitandi superius proposita, quia si perfectio effectus consideretur, ad illam communicandam sufficit virtus et perfectio similis vel eminentioris formae accidentalis; ex modo autem actionis non requiritur illa tam intrinseca dependentia, et ideo non est cur necessaria sit. Unde obiter solvitur illa ratio, quatenus contra priorem assertionem fieri potest. Quamquam enim dubitari possit an operatio vitae sit perfectior in sua entitate quam facultas a qua procedit, nunc autem, supponendo potentiam esse perfectiorem, dicimus propter specialem modum talis operationis necessarium esse actualem influxum immediatum principii principalis. Neque repugnat hoc modo formam substantialem influere in actionem, si habeat principium accidentale quo proxime determinetur ad illam actionem; non enim semper forma accidentalis dicitur principium proximum, quia sola illa immediate influat, sed quia est principium determinans formam substantialem ad talem actionem. Sicut causa particularis dicitur proxima respectu primae, non quia prima non immediate influat, sed quia particularis est in suo genere determinans actionem.

5. *Ad nullius accidentis non vitalis productionem concurrit immediate substantia.— Organizatio an actio vitalis*.— Sed quaeret aliquis circa posteriorem partem, esto non sit necessarius influxus formae ad has actiones, an sit possibilis et utilis, id est, an calor existens in igne iuvetur a forma ad calefaciendum, et consequenter an, caeteris paribus, vehementius calefaciat quam existens in alio subiecto. Contra priorem etiam partem obiici potest, nam interdum videtur actio vitalis exerceri ab aliqua potentia separata ab anima, ut in semine. Ad priorem partem respondeo nullum inveniri sufficiens. signum illius influxus, et ideo non esse leviter et sine fundamento asserendum. Quod etiam confirmat Eucharistiae mysterium, ubi accidentia vini aeque agunt sine influxu suae formae. Video dici posse Deum supplere illam efficientiam ob fidem mysterii; tamen ubi nulla necessitas cogit, non oportet recurrere ad divinam causalitatem. Ad posteriorem partem, probabile est semen quoad spiritum in eo supplantatum vivere vita vegetativa, ad quam spectat modus ille vitalis qui videtur esse in generatione viventis[6], atque ita videtur sentire de semine Aristot., II de Gener. anim., c. 1, quia habet virtutem organizandi corpus et generandi, quod videtur opus animae vegetativae. Neque ab illa sententia discrepare videtur D. Thomas, I, q. 118, a. 1, ad 1. Secundo, quidquid de hoc sit, respondetur actiones animae vegetativae, quoad substantiam, eiusdem esse rationis cum his quae ab extrinseco principio fiunt; omnes enim sunt aut motus locales, aut alterationes, vel eductio formae substantialis, unde solum habent rationem actionis vitalis ex peculiari habitudine ad animam ut ad principium coniunctam in eodem supposito se movente. Sicut locutio hominis est actio vitalis, locutio autem angeli in corpore assumpto non est vitalis, licet sint similes in exteriori specie. Sic ergo actio seminis, ut est ab illo, non est vitalis, sed mere naturalis actio; quod autem in artificio (ut sic dicam) seu in ratione agendi servet modum vitae, referendum est in aliud superius principium, ut tactum est supra.

## *SECTIO VI*

## *UTRUM ACCIDENS SIT INSTRUMENTUM TANTUM IN PRODUCTIONE ALTERIUS ACCIDENTIS*

1. Quidam contendunt accidens dicendum esse principium tantum instrumentale. Et communiter haec opinio D. Thomae tribuitur, qui illam insinuat In I, dist. 3, q. 4, a. 3, ad 2, ideoque sectatores eius frequentius illam sequuntur, hisque rationibus confirmant. Prima, quia accidens est essentialiter subordinatum substantiae in esse, et consequenter etiam

[6] Vide Vallesium, lib. Controv. medical., c. 8.

in actione. Secundo, quia accidens accipit a substantia totam virtutem agendi. Neque obstat quod causa principalis proxima etiam accipit virtutem agendi a prima; nam causa secunda et prima sunt diversi ordinis, et non repugnat causam principalem inferiorem accipere virtutem a causa superioris ordinis; accidens vero est in agendo eiusdem ordinis cum sua substantia, et cum ea constituit unum proximum agens integrum, et ab ea recipit virtutem agendi; hoc autem modo accipere virtutem ab alio eiusdem ordinis, constituendo cum illo unum proximum agens, est proprium causae instrumentalis. Tertio, quia tale est agere quale est esse; sed accidentis esse est substantiae, est enim accidens entis ens; ergo agere accidentis principaliter est substantiae; ergo accidentis solum est instrumentaliter. Et hoc confirmat modus loquendi philosophorum omnium, qui attribuunt omnes has actiones substantiis ut primis agentibus.

2. Contrariam sententiam tenent frequentius alii Doctores, ut videre licet in Scoto, In IV, dist. 13, q. 3; Palud., q. 4, concl. 1; Maiore, q. 1; Aegid., Quodl. III, q. 1, et theor. 43. Ad declarandum autem fundamentum huius sententiae, supponendum est non esse hic quaestionem de causa principali ut quod, seu quae operatur, sed de principio principali quo. Constat enim priori modo suppositum esse quod operatur; si autem sumatur formaliter, ut est per se causa accidentalis actionis, accipi debet ut substat formae accidentali quae est principium talis actionis; sic enim dixit Aristoteles Polycletum per accidens efficere statuam, artificem autem per se. Hoc ergo modo dicitur accidens causa principalis ut *principium quo*, suppositum vero ut substans accidenti, *ut principium quod*. Et sic probatur haec opinio, quia forma accidentalis propria virtute efficit aliud accidens; sed causa principalis est quae propria virtute operatur; ergo. Maior patet, quando calor efficit calorem et in universum unum accidens aliud simile, vel quando nobilius accidens efficit ignobilius, ut lux calorem; nunc enim perfectio effectus non excedit perfectionem accidentis quod est principium agendi; ergo nec virtutem eius excedit; ergo tunc accidens propria virtute est principium talis actionis. Iuxta quam rationem intelligenda est haec sententia de accidente, quando hoc modo operatur; nam si elevetur inferius accidens ad efficiendum aliud superioris rationis, non negabitur esse instrumentum. Secunda ratio sit quia illud est principale principium agendi cui assimilatur effectus; sed per calefactionem ut sic effectus fit similis causae in calore; ergo calor est principale principium illius actionis. Tertia, quia calor per se separatus a substantia eadem vi et efficacia exercet actionem suam, ita ut non indigeat influxu substantiae neque alterius causae quae illum suppleat, ut de accidentibus Eucharistiae, quantum ad actiones accidentales, omnes fatentur. Quarta, quia albedo, verbi gratia, non efficit intentionales species ut instrumentum substantiae, cum ad illam actionem omnino per accidens substantia se habere videatur.

3. Haec controversia, suppositis quae dicta sunt in secundo dubio, solum videtur esse posse de modo loquendi; nam ad rem solum spectat quem influxum requirat accidens a substantia ut suam propriam actionem perficiat. Hoc autem constituto et declarato, solum de significatione nominis controverti potest, cum quaeritur an dicendum sit instrumentum vel principale principium. Itaque potentiae animae ad actiones vitales merito dici possunt instrumenta coniuncta animae, quatenus illi subordinantur sicut principali formae, ut sine actuali influxu et quasi motione illius suas operationes efficere non possint, quamvis alia ratione possint dici principia principalia, saltem partialia, quia, scilicet, virtus quam in se habent et qua cooperantur ad effectum est ex se proportionata et commensurata tali effectui, quia non excedit perfectionem ipsius facultatis; loquor enim de actionibus connaturalibus. Unde etiam possunt potentia et forma comparari ut principium universale et proximum, utrumque vero principale et sufficiens ac totale in suo ordine; tamen, quia inter illa duo principalius est forma, cui subordinatur potentia, ideo haec subordinatio et dependentia nomine instrumenti significari potest.

4. At vero in aliis accidentibus, quae non ita pendent in sua actione a substantiali forma, multo minor ratio instrumenti reperitur respectu talium actionum. Unde, quod ad rem attinet, verissime existimantur principia principalia talium actionum, ut argumenta posteriori loco facta convincunt, quia ex vi illius perfectionis solius quam habent ex sua specie vel entitate, eliciunt tales actiones. Item, quia sola talis forma per se sufficit ad dandum

supposito esse per se ac formaliter requisitum ad talem actionem, ut in aqua calida esse per se requisitum ad calefaciendum tantum est esse calidum. Sicut ergo calor est forma per se ac ex propria ratione dans esse calidum, ita reipsa est principium principale calefaciendi. Neque ad hoc refert aut obstat quod accidens sit in substantia et propter substantiam et a substantia, quia non agimus unde vel a quibus causis habet accidens virtutem agendi; fatemur enim habere illam materialiter a substantia et finaliter propter illam, et fortasse etiam efficienter mediate vel immediate per dimanationem naturalem, sed agimus an formaliter habeat in se totam virtutem sufficientem et necessariam ad illam actionem. Et sic dicimus habere illam, et hoc solum contendimus significari cum dicitur principalis causa non *ut quod*, sed *ut quo*. Cui principio nulla ratione obstat quod accidens sit entis, id est, substantiae ens, et quod totum suum esse sit alterius; quin potius illa particula *ut quo* haec omnia innuere et significare videtur. Unde etiam ipsa forma substantialis, quatenus est principium quo respectu sui suppositi, est suo etiam modo entis ens. Ne vero de nomine sit contentio, illud etiam dabimus priori sententiae, quod si nomine instrumenti seu causae instrumentariae solum significetur (ut revera interdum significatur) illa habitudo quam habet accidens ad substantiam, quatenus datum est ut substantia per illud tamquam per instrumentum suum operetur, et ad hoc accipit virtutem ab ipsa substantia et ab eadem in suo esse sustentatur et pendet, sic vocari potest instrumentum, proprius tamen appellatur virtus aut potentia substantiae.

## *SECTIO VII*

## *UTRUM CAUSA EFFICIENS ESSE DEBEAT IN RE DISTINCTA A RECIPIENTE UT AGERE POSSIT*

1. *Quae conditiones inter agens et passum requisitae ad actionem*.— Explicuimus principia per se agendi causarum creatarum; superest ut dicamus de conditionibus requisitis ad agendum, quae licet variae numerari soleant, tres tamen videntur graviores et difficiliores, et ad eas omnes aliae revocantur. Supponendum autem est omne agens creatum indigere passo ad actionem, quia, ut supra dictum est et infra etiam ostendetur, non agit creando, sed ex praesupposita materia. Conditiones ergo requisitae ad agendum exigendae non sunt inter causam et effectum; sic enim non erunt requisitae ad agendum, sed consequentes actionem. Sunt ergo praerequisitae inter agens et passum seu inter causam efficientem et materialem. Prima igitur conditio est distinctio necessaria inter agens et passum. Secunda, propinquitas necessaria, supposita distinctione. Tertia dissimilitudo et proportio, quamquam haec tertia quodammodo ad rationem agendi pertinere videatur, ut postea videbimus.

2. Omitto conditionem existendi, quia, ut saepe dixi, hanc non reputo conditionem condistinctam in re ab agente seu principio agendi; unde merito dixit Aristoteles, IV Metaph., c. 4, text. 16: *Ea quae non sunt, quonam pacto aut loquentur aut ambulabunt?* Praeterea, quia haec conditio includitur in omnibus aliis; nam si necesse est agens et passum esse propinqua, multo magis necessarium erit ut sint; quomodo enim erunt loco propinqua, quae in rerum natura non sunt? Item supra ostendimus ad agendum, etiam per resultantiam, non satis esse immediate antea fuisse; multo ergo evidentius est ad propriam efficientiam necessariam esse existentiam. Quod in naturali efficientia nemo negabit; id autem praesenti instituto sufficit, intelligendum autem est cum proportione, scilicet, ut quod per seipsum agit in se existat, quod vero tantum per instrumentum separatum agit virtualiter tantum in instrumento existat, quia solum per denominationem extrinsecam ab illo agere dicitur; illa autem virtualis existentia nihil est aliud quam quod instrumentum ipsum existat. Quam existentiam etiam in divinis instrumentis necessariam esse alibi ostendimus.

3. Omitto praeterea aliam conditionem quae in agente materiali solet requiri, scilicet, quod sit extensum et quantitativo modo existens. Haec enim conditio in tantum necessaria est his rebus ad agendum, in quantum intrinsece pertinet ad naturalem modum essendi earum; an vero, separato divinitus illo modo existendi, possint agere naturaliter, non tam est

metaphysica quaestio quam theologica, quam satis attigimus in tomo III, III part., disp. XIL, sect. prima.

*Difficultas praesenti quaestionis et variae sententiae proponuntur*

4. His suppositis, in haec sectione tractanda est prima conditio. In qua difficultas oritur primo ex multis exemplis, in quibus ostendi videtur non esse necessariam distinctionem in re inter agens et passum; primo ob naturales emanationes, nam ab eadem anima manat intellectus et in eadem recipitur. Secundo, in actionibus immanentibus cognoscendi, et praesertim amandi, nam eadem anima per eamdem voluntatem elicit amorem et recipit. Tertio, in motibus. physicis, nam gravia et levia se movent, et viventia proprius, et aqua se frigefacit, etc. Ultimo obstat ratio quia, licet illa conditio saepe intercedat in his quae agunt actione transeunte, quia illis naturale est agere in alia, tamen nulla est ratio quae necessaria exigat conditionem illam. Si enim aliqua esset, maxime illa vulgaris quia non potest idem simul esse in potentia ad recipiendum et in actu ad agendum; haec autem non videtur urgens, quia, ut Scotus argumentatur, potest esse in actu virtuali seu eminenti et in potentia formali, id est, habere vim eminentem ad efficiendam talem formam et capacitatem ad recipiendam formaliter illam; in hoc, enim nulla involvitur repugnantia. In contrarium vero est axioma illud ab Aristotele traditum, VII et VIII Physic.: *Omne quod movetur ab alio movetur*, quod adeo receptum est ut tamquam fundamentum et principium habeatur demonstrationis qua ostenditur Deum esse.

5. *Aliquorum opinio*.— In hac re quidam existimant hanc conditionem non esse necessariam in omnibus agentibus, licet in multis interveniat. Ita opinatur Scotus In I, dist. 3, q. 7, et In II, dist. 2, q. 10, et IX Metaph., q. 14; et ibi Antonius And., q. 1; Greg., In II, dist. 6, q. 1, a. 3; Iandun., VIII Phys., q. 12, qui nituntur argumentis factis. Quibus favet Comment., III de Caelo, com. 28, dicens idem posse a seipso pati actione aequivoca. Alii frequentius indistincte acceptant axioma Aristotelis et hanc conditionem ut omnino necessariam in omni agente requirunt, non solum quoad transeuntes, sed etiam quoad immanentes actiones. Quod diserte declararunt Capreol., In I, dist. 3, q. 3; et Aegid., Quodl. III, q. 16, et Quodl. V, q. 15; Ferrar., I cont. Gent., c. 23, ubi tamen excipit efficientiam per naturalem resultantiam, quod fortasse (si consequenter loqueretur) non esset necessarium. Alii vero distinctionibus variis utuntur, ut in progressu explicabimus.

*Nonnullae suppositiones ad quaestionis resolutionem*

6. *Agens non necessario a patiente distinctum supposito*.— Primo ergo statuendum est non esse necessarium agens distingui supposito a passo recipiente. Hoc satis patet inductione facta; idque expresse docet Aristot., VII Phys., in princ., et VIII Phys., c. 4. Unde infert idem posse movere seipsum, si distinguatur in partem per se moventem et partem per se motam, quomodo ait animalia movere seipsa motu locali, et fere eodem modo movent sese viventia motu augmentationis; agunt enim directe in alimentum, quod in se convertunt et sibi uniunt, et ita augentur. Sic etiam non est inconveniens idem movere se per accidens, sicut movetur anima, moto corpore.

7. *In eodem supposito varie agens a patiente distinctum*.— Secundo supponendum est in eodem supposito agente in seipsum variis modis posse distingui agens a patiente. Primo, secundum diversas partes integrantes; secundo, iuxta diversas partes substantiales et essentiales, ut si per formam agat et per materiam recipiat, qui duo modi habere possunt locum in corporibus, non tamen universe in omnibus agentibus, prout nunc loquimur; nam etiam res spirituales agunt in se. Tertio possunt distingui ut saltem alia sit facultas agendi et alia recipiendi. Quae distinctio potest esse aut omnimoda et realis aut saltem ut includentis ab incluso, quorum omnium exempla postea afferemus.

8. *Variae actiones de quibus est quaestio*.— Tertio, distinguere oportet varias actiones et per singulas discurrere, ut ex omnibus generalem aliquam regulam colligere possimus. Inter actiones ergo primum numerari potest naturalis dimanatio seu resultantia; deinde motus physici ac materiales, qui ex genere suo actione transeunte perficiuntur, qui, claritatis gratia, distingui possunt in suas species: alterationis, augmentationis et motus localis; omitto generationem substantialem, nam per se notum est idem non posse generare

seipsum. His adiungi potest motus localis spiritualium rerum seipsas moventium; is enim partim similis est motibus corporum, quia se habet tamquam actio transiens, partim est dissimilis, quia non est motus physicus, id est, extensus ex parte subiecti. Denique praeter has omnes est efficientia per actiones immanentes sensus aut appetitus, intellectus aut voluntatis.

*Prima assertio de resultantia naturali*

9. Dico ergo primo: in resultantia naturali, quamvis contingat proximum efficiens non esse distinctum a recipiente, tamen simpliciter ille effectus reducitur in efficientem causam distinctam a passo. Prior pars patet argumento superius facto de potentiis animae ab eadem fluentibus; nam, licet in anima distingui possit ratio agendi et recipiendi illas potentias, ut Ferrar. supra advertit, tamen, cum illa distinctio rationis tantum sit, nihil ad praesens refert, maxime quoad primam proprietatem, quae immediate a sola substantia resultat; nam secunda forte emanat mediante prima, licet proxime in substantia sola recipiatur, ut sentit D. Thomas, I, q. 77, a. 8. Atque idem est de substantia et potentiis angelorum. In rebus autem materialibus semper fere potest in re distingui principium efficiens (saltem ut quo) huius emanationis a ratione recipiendi proprietatem dimanantem; manat enim a forma, non tamen recipitur in illa, cum non sit forma subsistens, sed recipitur in materia vel in composito ratione materiae. Solum potest instari de quantitate, si fortasse manat ab entitate materiae et in ea recipitur, quod incertum est.

10. Posterior pars conclusionis constat ex superiori sectione; diximus enim proprietatem non manare a substantia vel essentia ut a principali agente, sed ut ab instrumento generantis; ergo ille effectus generanti tribuendus est ut principaliori causae. At vero generans distinctum est a genito et a potentiis eius. Dices reductionem huius effectus in generantem solum esse tamquam in causam remotam et per accidens, quae dedit formam, a qua facultates aliae manant; hic autem, ut supra dixi, non inquirimus reductionem per accidens, sed per se et in causam proximam; alias facile diceremus omne quod fit ab alio fieri, etiam distincto secundum suppositum; ab alio (inquam) vel qui proxime agat vel qui remote dederit virtutem operandi. Respondetur non esse hanc reductionem in causam per accidens, sed in causam principalem per se, primo quidem ex intentione et ordinatione naturae, nam virtus illa data est ut operetur tamquam instrumentum alterius, cuius vicem quodammodo gerit. Ut proiecta non per accidens, sed per se dicuntur moveri a proiiciente, qui impressit impetum, non solum quia dedit virtutem agendi, sed quia illam dedit cum hac habitudine ut esset instrumentum quod vice sui operaretur. Deinde, quando essentia non continet eminenter has facultates, sed tantum instrumentarie, probabile est requiri maiorem influxum generantis seu auctoris naturae quam si illa causa esset propria et principalis, cui omnino esset tribuendus effectus, quia hoc ipso quod principium proximum non continet formaliter neque eminenter effectum, non potest esse propria et adaequata causa eius, etiam in ratione causae proximae et principalis. Quare, si in tota aliqua specie non invenitur illa eminens virtus respectu proprietatum naturaliter consequentium ipsam, necesse est proprietatem quae est in genito fieri a simili proprietate quae est in generante aut manare a forma cum aliqua reductione ad auctorem totius speciei ut principaliter efficientem.

*Secunda assertio de motu et actione physicis*

11. Dico secundo: omnis causa efficiens, per motum physicum et actionem transeuntem distinguitur in re aliquo modo a materiali causa recipiente effectum. Haec conclusio est consentanea menti Aristotelis, qui forte nihil aliud intendit in citato loco, nam agit de motu physico rerum corporalium, in solis physicis motibus inductionem facit semperque in rationibus suis supponit talem motum habere partes ex parte mobilis. Et quoniam in motu alterationis et augmentationis minor est difficultas, in illis prius explicatur breviter conclusio. Nam inductione facta, nulla invenitur alteratio propria quae ab aliquo agente in seipsum per se primo fiat, id est, secundum eamdem partem; contingit quidem idem per unam partem alterare seipsum in alia, si sint dissimiliter affectae; tamen secundum eamdem non contingit, ut inductione in omnibus constat. Solum est vulgaris instantia de

reductione aquae ad pristinam frigiditatem, et idem est de quacumque simile reductione; in superioribus enim ostendimus illam actionem non fieri ab agente extrinseco, sed ab intrinseco. Respondetur tamen illam actionem pertinere ad naturalem resultantiam, de qua in prima conclusione locuti sumus, et ideo solet illa actio tribui generanti, ut notarunt Capr., In II, dist. 6, q. 1, a. 3; Aegid., Quodl. II, q. 16; Henr., Quodl. XI, q. 6.

12. Et hinc facile constat in motu etiam augmentationis non agere idem in seipsum per se; nam ille motus non fit nisi praevia alteratione; sed alteratio non fit ab eodem in seipsum secundum eamdem partem; ergo neque augmentatio. Ratio autem a priori huius partis nulla alia esse videtur, praeter eam quam Aristoteles tetigit, scilicet, quia non potest esse idem secundum idem simul in actu et in potentia. Cui rationi valde obstat obiectio supra facta, quia procedit haec ratio ad summum de alteratione univoca, id est, procedente a qualitate eiusdem rationis, non vero de alteratione aequivoca, quae procedit a qualitate virtuali seu superioris rationis; nam tunc nulla esset contradictio quod eadem pars haberet qualitatem virtualem et careret formali, et ideo ageret in se. Propter quod Scotus et alii supra citati existimant rationem Aristotelis non esse universalem, quod est revera dicere non esse efficacem. Praesertim quia, ut infra videbimus, ipse utitur ea ratione etiam in motu locali, in quo actio semper est aequivoca; virtus enim motiva semper est alterius rationis a forma seu termino motus localis.

13. *Per partem per se moventem et partem per se motam non intelligit Aristoteles formam et materiam.*— Alii hac ratione utuntur: alteratio materialis quae fit a substantia materiali, procedit active a forma, nam materia non est principium agendi, recipitur autem in composito ratione materiae, quae est principium patiendi; atque ita, etiamsi contingat idem secundum eamdem partem integralem agere in seipsum, nihilominus distinguitur agens a patiente quoad principia agendi et patiendi. Sed haec ratio plane est contra mentem Aristotelis, qui non agit de principio formali quo; satis enim erat constans materiam et formam habere diversa munera in rebus corporalibus; sed agit de principio quod, vel integro vel saltem partiali, ut recte notavit D. Thomas, q. 22 de Veritate, a. 3, et constat ex VIII Phys., c. 4. Alioqui cum agit de motu gravium et levium, non oportuisset recurrere ad generans, sed ad formam efficientem et ad materiam recipientem motum. Neque in animalibus oportuisset distinguere partem per se moventem a parte per se mota, quod de partibus integrantibus aperte intelligit Aristoteles, ibid., text. 28. Nec denique ascendendo ad motum caeli, oporteret separatum motorem eius assignare, sed intrinsecam formam quae esset principium activum motus, et materiam quae esset receptivum.

14. *Mens Aristotelis in hoc explicatur.*— Iuxta mentem ergo Aristotelis dicendum est idem compositum materiale non posse alterare seipsum per se seu secundum eamdem partem integralem. Ratio autem huius ita reddi potest quasi declarando seu consummando primam rationem Aristotelis: quia si substantia habeat in aliqua parte qualitatem formalem et non virtualem, vel neutram habeat, non potest ad illam eamdem qualitatem se movere, ut optime probat ratio facta. Si vero habeat in illa parte qualitatem virtualem, aut qualitas etiam formalis est connaturalis eidem parti, vel est violenta vel neutra. Si est naturalis, semper habebit illam, quia proprietas connaturalis ab intrinseco semper convenit. Quod si talis fortasse sit ut violenter tolli aut minui possit, tunc ablato impedimento reducet se illa res ad statum connaturalem; tamen illud erit per modum resultantiae naturalis, et actio principaliter reducetur in extrinsecum principium, quod est generans. Si autem illa qualitas sit violenta, impossibile est ut eadem res per qualitatem virtualem caloris seipsam formaliter calefaciat calefactione violenta et praeternaturali. Exemplum esse potest piper, quod vim habet calefaciendi linguam aut ventrem, et tamen non potest calefacere seipsum, quia talis calefactio esset sibi violenta. Huius autem ratio non facile redditur. Quod enim quidam aiunt, naturae lege cautum esse ne quid sibi interitum aut incommodum paret, non videtur satisfacere; nam idem vivens, dum ab intrinseco corrumpitur, sibi interitum parat; earum autem videtur referre quod hoc sit secundum diversas partes, per unam alterando aliam, vel per eamdem secundum diversas qualitates. Et ratione patet, nam illa qualitas virtualis est sufficiens ad efficiendam formalem in subiecto capaci, et naturaliter ac necessario agit; ergo si subiectum in quo est virtualis qualitas est capax formalis et caret illa, ex necessitate

naturae efficiet illam in se, neque ob illam naturae legem potest continere actionem suam, nisi aliunde impediatur, quia non est agens liberum.

15. Adde nonnullos sentire calidum naturale in viventibus exsiccare seipsum et consumere naturale humidum, non solum secundum diversas partes, sed etiam secundum eamdem, ut videre licet in Aegid., Quodl., II, q. 17, ubi tamen ait illam consumptionem humiditatis fieri per resultantiam naturalem nimiae siccitatis ex calore nativo. Sed id censeo impossibile; nam, cum illa actio sit violenta, non potest resultare naturaliter ab intrinseco, quia est implicatio in adiecto, quia violentum *est quod est ab extrinseco, passo non conferente vim*. Unde censeo id quod supponit Aegid. esse falsum et impossibile, nimirum, quod eadem pars animalis homogenea, id est, secundum se totam eodem modo disposita, modo sibi connaturali, per calorem sibi nativum, sive formalem sive virtualem, minuat humiditatem sibi connaturalem seipsam violenter exsiccando, quia impossibile est quod eadem forma in eadem parte materiae requirat dispositiones aut formaliter aut eminenter repugnantes; alias in seipsa et in sua inclinatione involveret repugnantiam.

16. *Ratio ob quam virtualis qualitas suum subiectum non alteret.*— Si ergo aliqua substantia, vel tota vel in aliqua parte, habet calorem, verbi gratia, virtualem in tanta intensione, puta ut quatuor, vel simul necessario habebit tantumdem calorem formalem sibi connaturalem, vel certe tale habebit temperamentum talemque dispositionem naturalem ut resistat et impediat ne illa qualitas virtualis suam formalem actionem in eadem parte exerceat; et hac ratione nihil potest seipsum secundum eamdem partem ab intrinseco alterare violenta alteratione. Quod maxime declaratur in his mixtis quae habent virtuales qualitates activas primarum; nam illae supponunt temperamentum accommodatum primarum qualitatum et aliarum dispositionum quae ad illas consequuntur; ergo fieri non potest ut in eadem parte dissolvatur tale temperamentum per intrinsecam actionem illius facultatis virtualis. Et hoc confirmat exemplum illud de pipere; ita enim est dispositum et affectum aliis qualitatibus et dispositionibus, ut eius calor virtualis non habeat vim calefaciendi ipsum ultra connaturalem gradum caloris quem requirit quatenus tale mixtum est. Alii existimant non oportere aliam rationem reddere nisi quia qualitas non est activa in subiecto in quo est, etiamsi nulla alia conditio desit. Sed hoc mihi non probatur, quia est manifesta petitio principii; huius enim causam et rationem investigamus.

17. *Ad idem probandum alia ratio*.— Alia vero ratio reddi potest cur piper non calefaciat se, nimirum, quia fortasse non habet vim totalem seu integram calefaciendi, nisi aliunde iuvetur. Constat enim experientia applicatum manui non calefacere, sed indigere aliqua excitatione vel alteratione et aliqua commixtione cum intrinseco calore animalis, et idem dici potest de vino et similibus. Unde, quamvis nulla ex his rebus per se sola seipsam alterare possit sua qualitate virtuali, tamen, postquam incipit ab extrinseco alterari et cum extrinseco agente coniungi, nullum est inconveniens quod consequenter adiuvet ad sui alterationem aut corruptionem; iam enim integrum alterans satis distinctum est a patiente. Sic igitur alteratio violenta nunquam potest esse eiusdem in seipsum per qualitatem virtualem.

18. *Alteratio indifferens semper est ab extrinseco.*— Alteratio autem indifferens, id est, nec violenta nec naturalis, esse non potest in eo qui habeat qualitatem virtualem ad talem alterationem faciendam, quia illa qualitas naturaliter ac necessario agit quantum potest; ergo vel invenit in subiecto suo dispositionem naturalem repugnantem suae actioni, et sic eius actio esset violenta, vel nullam invenit repugnantem dispositionem, et sic dimanatio erit naturalis, quia est ab interna et nativa qualitate et ex intrinseca naturae necessitate. Unde, si qua datur alteratio vel actio ad qualitatem indifferens, ut est illuminatio in aere, semper ac necessario est ab extrinseco agente. Et ratio est clara, quia si sit ab intrinseca forma, vel immediate vel mediante aliqua qualitate connaturali eidem formae, iam non erit indifferens, sed connaturalis, illa qualitas.

19. *Ratio adaequata pro conclusione.— Idem in potentia et in actu etiam virtuali esse non posse, qualiter verum.*— Ex his ergo omnibus ita concluditur ratio: Omnis qualitas

vel est violenta vel naturalis vel indifferens. Si sit violenta et indifferens, evidenter est ab extrinseco agente. Si vero sit naturalis, est a generante, vel si dicatur esse ab intrinseco, est per naturalem dimanationem, de qua non est sermo in hac conclusione. Accommodando autem hunc discursum ad rationem Aristotelis, dicendum est illud principium *non potest esse idem simul in potentia et in actu esse* verum, etiam de actu virtuali, adhibita duplici limitatione. Una est ut sit sermo de actu qui est principium motus physici et mere naturalis, ut excludamus actiones immateriales et vitales, de quibus nunc non est sermo. Alia est ut intelligatur de re existente in suo naturali statu; nam in praeternaturali statu contingit quidem esse in actu virtuali et potentia formali, ut est in aqua calida, quae virtute est frigida; tamen actio illius virtutis solum est naturalis resultantia et tribuitur extrinseco agenti, ut dictum est. Unde si quis velit non vocare hanc continentiam virtualem, sed instrumentalem, prior moderatio satis erit.

20. Ex his facile est conclusionem probare in motu locali, applicando discursum factum et inductionem, quae ex Aristotele, citato loco, in hunc modum fieri potest. Aut corpus movetur naturaliter, aut violenter, aut motu indifferenti. Secundo et tertio modo semper motus provenit a causa extrinseca; sub his enim duobus membris comprehendimus omnes motus quos Aristoteles praeter naturam appellavit, sive sint contra naturam, quos violentos vocamus, sive sint omnino extra debitum seu extra principium intrinsecum propriae naturae, ut est motus circularis ignis in propria sphaera, et si quis est alius similis. Motus autem naturalis aut est animalium se moventium aut rerum inanimatarum in propria loca tendentium. In utrisque autem distinguitur efficiens a patiente; nam corpora inanimata a generante moventur ad sua loca naturalia; in animalibus vero distinguitur pars per se movens a parte per se mota, et ita non se movet totum nisi quasi per accidens.

*Difficultas de motu gravium et levium*

21. Circa quam inductionem tres praecipue difficultates occurrunt. Prima est illa vulgaris de motu gravium et levium; sed quia illa pure physica est et, licet magna contentione tractetur inter diversimode opinantes, vix potest esse in ea dissensio nisi in modo loquendi; ideo, omissis argumentis, annotabo breviter punctum difficultatis et quomodo in ea sentiendum et loquendum censeam. Multi ergo absolute dicunt gravia et levia a seipsis moveri in sua loca: Scot. In II, dist. 2, q. 10; Gregor., dist. 6, q. 1, a. 3; Mairon., dist. 14, q. 6; Abulensis, Matth. XXII, q. 224; Buridan., Iandunus, Niphus, Saxon., VIII Phys. Alii existimant haec corpora mere passive se habere ad hos motus; moveri autem vel a caelo, vel attracta a suis locis naturalibus, vel a medio seu a loco contrario expellente. Haec et alia referunt Richardus, In II, dist. 14, a. 2, q. 4; Zimara, II de Anima, text. 54; Gregorius supra; quae ut improbabilia omitto. Communis ergo sententia est moveri principaliter a generante. Sumitur ex Aristot., cit. loc., praesertim VIII Phys., a text. 29, et IV de Caelo, c. 3; et idem sentit Commentator, his locis, quamvis interdum varius esse videatur. Idem tenet D. Thomas, eisdem locis, et I, q. 18, a. 1, et I cont. Gent., c. 97; Caietan., et Ferrariensis, his locis; et Capreol., In II, dist. 6, a. 3; Aegid., Quodl. V, q. 16; Albert., VIII Phys., tract. II, c. 4. Et frequentius expositores, VIII Phys. Et haec sententia recte explicata vera est; multi tamen, etiam thomistae, in ea explicanda valde errant.

22. *Varii modi explicandi communem et veram opinionem*.— Quidam enim ita existimant hanc motionem esse a generante ut in ipso mobili nulla sit intrinseca virtus activa motus, sed solum naturalis potentia passiva, ratione cuius illis debetur talis motus. Contra quam sententiam sunt evidentes rationes Scoti et aliorum[7], quia est evidens generans non posse immediate imprimere hunc motum per formam aut qualitates quas in se habet absque qualitate indita ipsi mobili, a quo effective manet ille motus, quia contingit non esse generans vel ita esse distans ut non possit immediate movere. Alii vero distinctione utuntur; nam quando grave (inquiunt) immediate postquam genitum est incipit moveri deorsum, tunc immediate movetur a generante, ipso passive tantum se habente, quia tunc potuit generans per se imprimere motum. At vero quando grave movetur aliquo tempore transacto post generationem, tunc aiunt non moveri a generante, sed a se active. Ita Soncin., IX Metaph.,

[7] Scot., II Phys., q. 1, lib. VIII, q. 3; Iavel., q. 9.

q. 8; et tribuit Commentatori; et idem sequuntur Caietan. Thiennensis, VIII Phys.; et Paulus Venetus, in Summ. de Caelo, c. 24. Sed apud me est distinctio improbabilis, tum quia hic motus semper est eiusdem rationis et ab eodem principio naturali fit, tum etiam quia, etsi grave incipiat moveri immediate post instans suae generationis, nondum movetur intrinsece a generante, quia nondum est motus; immediate autem post illud instans, et fieri potest ut generans iam non sit, vel saltem paulo post, adhuc durante motu; et quamvis sit, tamen immediate post instans generationis iam distat a re genita; suppono enim generans in suo loco manere; ergo non potest per se immediate efficere motum in genito. Ergo solum dicitur movere, quia in instanti generationis impressit impetum, quo immediate post movetur; ille autem impetus non est nisi gravitas; quidquid enim aliud fingatur, vanum est. Quia generans per se non imprimit nisi quod per se consequitur generationem; generationem autem rei gravis per se non consequitur nisi gravitas, quantum ad praesens attinet; ergo a gravitate intrinseca ipsius gravis fit tunc ille motus, eodem modo quo fit post quodlibet tempus. Estque id maxime consentaneum rationi, cum gravitas semper sit eadem et eamdem habeat virtutem, et distantia temporis sit impertinens.

23. *Resolvitur difficultas.— Aristoteles gravium et levium motum attribuit levitati aut gravitati ut proximo principio*.— Dicendum est ergo quotiescumque res inanimata tendit in suum locum naturalem, intrinsecam gravitatem vel levitatem esse principium efficiens proximum, non vero principale, illius motus. Hoc fere est evidens experientia et rationibus factis contra priores modos explicandi communem sententiam. Item, quia cum motus per se ac necessario conveniant his corporibus, necesse est assignare aliquod principium activum illius motus, per se etiam ac necessario illis conveniens; nullum autem est aliud praeter intrinsecam formam et gravitatem; nam generans, ut dicebamus, contingit omnino non esse, vel valde distare, et reliquae omnes causae vel nullae sunt, vel saltem sunt mere contingentes. Et haec est sine dubio sententia Aristotelis; nam lib. VIII Phys., e. 4, text. 32, cum distinxisset duplicem potentiam, remotam, scilicet, et proximam, subdit: *Frigidum potestate calidum est; cum autem mutatum est, ignis est; comburit vero, nisi quidquam prohibeat et obstet*; et addit: *Non secus se res habet in gravi et levi, namque ex gravi fit leve, ut ex aqua aer, hoc enim potestate erat primum et iam est leve, protinusque aget, nisi aliquid impediat*. Et infra: *Sed si id quod impedit amotum fuerit, aget*. Et IV lib. de Caelo, c. 1, text. 2, ait gravia et levia habere in se *fomenta seu incitamenta motus*; et clarius, c. 3, text. 25, comparat grave et leve ad corpus sanabile, dicens, sicut hoc ad sanitatem, ita illa ad sua loca proficisci. Subdit vero discrimen, dicens: *Excipitur tamen hoc; haec enim, grave* (inquit) *ac leve, in seipsis mutationis principium habere videntur, illa vero non in seipsis, sed foris, ut sanabile et accrescibile*; ubi necesse est loqui de principio activo, passivum enim etiam est in subiecto sanabili. Unde de illo et de accrescibili subdit: *Quamquam et haec interdum ex seipsis mutantur, et parvo facto in externis motu, alterum in sanitatem, alterum in incrementum accedunt*. Item IV Phys., c. 9, text. 85, ait *densum et rarum, quatenus gravitate et levitate praedita sunt, lationis esse efficientia*; quatenus vero sunt durum et molle, non habere principium movendi, sed vel resistendi vel patiendi alterationem.

24. *Aristotelis testimonia in contrarium inducuntur et explicantur.*— Neque obstat quod idem Aristoteles, II de Gener., c. 2, text. 8, dicit gravitatem et levitatem non esse principia agendi; nam ibidem etiam ait neque esse principia patiendi; loquitur enim de principio agendi vel transmutandi aliud, vel patiendi ab alio actione vel passione quae ad generationem vel corruptionem tendat, de qua ibi loquebatur. Item dicere possumus loqui de proprio principio et principali, cui simpliciter tribuatur actio, et consequenter de propria efficientia et actione. Haec enim, quae gravitati aut levitati convenit, potius est resultantia quaedam naturalis; eo modo quo est efficientia, non est dubium quin gravitas sit principium eius. Quae etiam est sententia D. Thomae, in I-II, q. 36, a. 2, et in III cont Gent., c. 23, ratione 4, et aliis locis quae notat Capreol., sup., et Bergomensis, in Concordant., dub. 690 et 691. Qui etiam illa loca conciliant cum aliis, in quibus D. Thomas negare videtur haec corpora habere in se principium activum motus, scilicet, quod ibi intelligat de principio principali, hic de instrumentali, seu ibi de principio quod, hic de principio quo.

25. *Formane gravis aut levis in eius motum naturalem influit*.— Sed quaeres an hoc principium internum sit sola gravitas, an etiam substantialis forma: varie enim loquuntur auctores. Respondetur si loquamur de principio per se proxime et actu influente, illud esse solam gravitatem, quia in illa est sufficiens vis ad efficiendum illum motum et terminum eius non minus quam sit in calore ad calefaciendum. Quod declaratur ex mysterio Eucharistiae, nam aequalem gravitatem habent species panis et aequali motu movebuntur deorsum sine forma ac si adesset ibi substantia panis. Si vero sit sermo de principio intrinseco remoto, sic forma substantialis est principium, quia ab illa manat atque resultat naturaliter gravitas, sicut aliae proprietates naturales.

26. *Talis motus generanti principaliter tribuendus*.— Nihilominus tamen addendum est ultimo hunc motum naturalem principaliter esse tribuendum generanti, qui formam et, mediante illa, gravitatem indidit a qua motus resultat, sicut proiicienti et imprimenti impetum tribuitur motus qui ab illo manat. Quia ut impetus impressus, licet sit vera virtus motiva et in se habeat sufficientem vim ad illum motum, nihilominus non movet nisi ut instrumentum proiicientis et vice eius, ita gravitas non movet nisi ut instrumentum generantis et vice eius. Haec est mens D. Thomae et aliorum auctorum, quos citavi in ultima sententia; et Aristotelis in citatis locis, qui in hoc sensu saepe alibi dicit inanimata non habere in se principium unde est motus, et hoc discrimen semper assignat inter ea et animantia, ut videre licet II de Caelo, c. 2, text. 9, et I de Anim., c. 2, text. 19, et lib. II, c. 2, text. 13. Et hoc discrimen viventium a non viventibus communi omnium consensu receptum est, ut notat D. Thomas, I cont. Gent., c. 97. Ratio autem huius attributionis est quia perfectio horum inanimatorum non consistit in motu ad sua loca, sed in esse seu permanere in suis locis; qui status seu perfectio, per se loquendo, convenire potest his rebus in eodem momento quo esse incipiunt ex vi suae generationis; et ideo, sicut aliae proprietates et naturales dispositiones quae per se conveniunt rei genitae ex vi generationis a generante dari censentur, ita etiam et naturalis locus. Atque hinc ulterius fit ut, quacumque ratione naturalis locus vel impediatur vel auferatur, via seu regressus ad illum eidem generanti semper tribuatur, quia semper eodem principio et eadem denominatione naturali fit, et quia eiusdem est terminum et viam seu motum ad illum conferre. Atque hoc modo explicavit hanc rem D. Thom., III cont. Gent., c. 23, dicens: *Forma est principium motus localis in quantum alicui corpori secundum suam formam debetur aliquis locus, in quem movetur ex vi suae formae tendentis in locum illum, quem quia dat generans, dicitur esse motor*. Sic etiam supra dicebamus reductionem aquae tribui generanti, quia naturalis ac perfecta frigiditas, per se loquendo, debita est aquae ex vi suae generationis et formae. Solum est differentia quod motus ille reductionis aquae ad frigiditatem est immediate a forma substantiali; hic autem reductio ad naturalem locum est media virtute motiva. Huius autem ratio non est nisi quia frigiditas est prima passio; esse autem in tali loco non est prima seu immediata passio, sed mediate conveniens ratione alterius, puta gravitatis aut levitatis; hoc autem nil impedit quominus utraque sit dimanatio naturalis ex vi generationis.

27. *Quae inanimatorum actiones tribuantur generanti, quae non*.— Et ex hac ratione colligitur discrimen ob quod actiones inanimatorum in exteram materiam non tribuuntur generanti, ut dum ignis calefacit, etc., licet consequantur naturaliter formam et facultatem datam a generante. Item, cur motus augmentationis, per quem genitum ad perfectam quantitatem tendit, non generanti, sed ipsi genito tribuatur. Ratio enim est quia hae non sunt proprietates naturales aut perfectiones debitae rei genitae in instanti quo generatur, ex vi suae generationis. Dices: cum aqua calida calefacit, non solus ignis dicitur calefacere, sed etiam ipsa aqua; et lapis, si descendendo impellat aliquid aliud, vere dicitur illud movere; ergo vere etiam dicetur efficere suum motum, atque adeo movere se tamquam suppositum in se sustentans principium proprium illius actionis. Hac enim sola ratione aquae calidae actio calefaciendi tribuitur. Respondetur in aliquo sensu non esse inconveniens admittere illam locutionem, ut notavit Ferrarien., I cont. Gent., c. 97, et significavit Capreol. supra, scilicet, quatenus denominat quasi materialiter suppositum habens in se proximum principium talis motus. Quia tamen illud principium gerit vicem alterius, cuius est instrumentum, ideo, simpliciter et absolute loquendo, in illud refunditur actio, sicut clare constat in exemplo de proiectis.

28. *Obiectioni satisfit*.— Dices tandem: quamvis haec congruentia data satis declaret modum illum loquendi philosophicum esse et habere in re aliquod fundamentum, quid tamen refert ad efficientiam realem et conditiones ad illam necessariae declarandas? Nam ex dictis satis concluditur potentiam vere activam, ut in aliquod subiectum efficiat, non necessario debere esse in subiecto distincto, neque in distincta parte illius subiecti. Respondetur merito ac sapienter hoc fuisse a philosophis consideratum ac declaratum ut significarent res vita carentes non accepisse a natura virtutem ad perficiendum se, per se loquendo, sed harum rerum naturam solum postulare ut in sua naturali perfectione generentur. Et hinc constituerunt differentiam inter viventia et non viventia, quam etiam Plato in Phaed., et dial. 10 de Legibus, assecutus est, quod viventia talia instituta sunt a natura ut possent seipsa perficere seu actuare (de creatis proprie loquimur), non viventia autem per se non habent nisi quietem in ea perfectione quam a generante recipiunt, nisi aliunde impediantur. Quia tamen optime instituta sunt, eam perfectionem accipiunt cum debita connexione suae essentiae et proprietatum inter se, quae tota auctori talium rerum seu generanti merito tribuitur. Et ideo, quotiescumque huiusmodi res ex accidente impediuntur ab statu naturali, et postea, ablato impedimento, ad illum redeunt, talis reditus non censetur esse per propriam actionem, sed per naturalem resultantiam, et ideo non tam ipsis quam generanti tribuitur.

*Difficultas de animantibus se loco moventibus*

29. Secunda difficultas circa eamdem inductionem Aristotelis est de motu animalium se moventium; nam in eis non videtur distingui agens a patiente. Quam difficultatem Aristoteles dissolvit dicens *animal non se movere per se primo*, id est, ita ut unaquaeque pars seipsam moveat, sed per unam partem, scilicet, integralem et organicam, movere aliam, ut experientia ipsa videtur ostendi, et ita distingui ibi agens a patiente, saltem secundum partes. Sed urgetur difficultas; nam hic processus inter partem moventem et motam non procedit in infinitum; non est enim inter partes proportionales, sed aequales seu alicuius certae magnitudinis; neque ille processus in causis per se ordinatis locum habet; sistendum est ergo in aliqua prima parte movente; illa autem non potest movere nisi mota; id enim de omnibus motoribus corporeis docet ipse Aristot., VII Phys., c. 1, text. 3, et maxime verum habet in corpore movente aliud quasi impellendo, quomodo pars una animalis videtur aliam movere. Sumo ergo primam partem moventem in animali et inquiro a qua illa moveatur. Non ab alia, cum illa sit primo movens in illo ordine; ergo a se. Neque enim est aliud principium, in quod reducatur; nam ille motus tribui non potest generanti, cum vitalis sit et non sit per naturalem dimanationem, sed ex appetitu animalis. Nec satisfaciet qui respondeat motum illius partis esse ab anima ut informante partem illam, recipi autem in eadem parte ratione materiae, quia, ut supra obiiciebam, hoc modo dici posset quodlibet corpus movere seipsum ratione formae et moveri ratione materiae.

30. Eadem difficultas est de motu cordis, qui perpetuus est dum animalis vita durat estque inter duos terminos, et ex pulsu tractuque componitur. Unde, licet eo modo semper duret, non tamen est perfecte continuus; nam inter dilatationem et contractionem aliqua quies necessario intercedit. Huius ergo motus nulla est alia causa efficiens praeter cor ipsum, quod cum homogeneum sit, non potest distingui in partem per se moventem et per se motam, sed totum per se primo se movet. Nec potest motus ille attribui generanti, propter easdem rationes nuper tactas, scilicet, quia est motus vitalis et in eo consistit perfectio viventis, alias motus augmentationis deberet etiam tribui generanti.

31. *Quae sit potentia loco motiva animalis*.— Ad priorem difficultatem: si verum esset, ut nonnulli existimant, virtutem activam motus animalis non esse aliam ab appetitu, qui immediate actu suo excitat nervum, qui est prima pars quae movet alias, sic facilis esset responsio; nam appetitus, si est sensitivus, est in corde; si rationalis, in anima ipsa; et per actum suum formaliter immanentem et virtualiter transeuntem movet primam partem animalis; et ita distinguitur ibi agens a patiente, quia vel appetitus est in distincta parte animalis, vel certe se habet ut motor quidam separatus. Verumtamen haec responsio supponit falsam sententiam; nam revera virtus motiva animalis, prout activa est, distincta est ab

appetitu, ut probatur latius in scientia de anima. Sunt vere qui[8] existiment hanc potentiam motivam vel esse animam ipsam secundum substantiam suam, vel certe esse in sola illa; qui consequenter aiunt solam animam, ut informantem nervum, movere illum per seipsam seu per potentiam quae est in ipsa, et per nervum, ut per instrumentum, movere proximam partem, etc. Et ad obiectionem superius factam responderi poterit, iuxta hanc sententiam, concedendo in illa prima parte motus animalis seu in nervo non distingui partem integrantem per se moventem et per se motam, sed solum partem essentialem. Neque id esse inconveniens quia ibi anima, eo quod in se habeat totam movendi virtutem, se gerit ac si esset movens quod et separatum. Et ita hoc non repugnat intentioni Aristotelis. Immo dici posset satis esse quod nullum mobile corporeum integrum et totale seipsum per se primo moveat, quamvis secundum aliquam partem inchoantem motum illam moveat sine alio instrumento, sed solum ratione suae formae, sicut infra dicemus de motu cordis. Quo sensu posset probabiliter defendi haec responsio, etiamsi potentia motiva quae est in nervo non sit in sola anima, sed in ipsa parte ut composita ex corpore et anima, quod videtur probabilius, praesertim in brutis animalibus.

32. Ulterius vero addere possumus primum instrumentum motus animalis esse musculos, qui ex nervis et quibusdam ligamentis et carne compacti sunt, ut Galen. latius explicat, XII de Usu partium, c. 3. Hoc autem instrumentum non ita movetur a se quin alia concurrant ad eius motum, ratione quorum dici possit ab alio moveri. Nam imprimis non potest ipsum inchoare motum quin alia pars animalis immota maneat, cui ipsum innitatur; in omni animalis motu experientia ipsa constat non posse fieri motum unius partis nisi quiescente alia; illa ergo pars quiescens etiam pertinet ad instrumentum motus et dicitur movens per se immotum, et ita ratione illius distinguitur movens a prima parte animalis mota simul et movente, quod notavit Albert., lib. III de Anim., tract. IV, c. 8. Addere item possumus ex D. Thoma, Comment. et aliis, III de Anim., c. 10, etiam cor esse aliquo modo fundamentum huius motus, tum quia nervi ab ipso fiunt, tum maxime quia concurrit mediis spiritibus animalibus ad movendum musculum; nam constat etiam experientia hanc virtutem motivam sine spiritibus exerceri non posse, quos spiritus cor aut cerebrum (iuxta varias philosophorum sententias) mittit ad eam partem qua inchoandus est motus; ergo verisimile est illos spiritus deservire etiam aliquo modo ut instrumenta motus; ipsi autem spiritus moventur impulsi seu agitati ex efficacia alicuius virtutis existentis in corde vel cerebro, quae ipsa immota manens impellit spiritus, intercedente appetitu. Sicut virtus expulsiva excrementorum naturaliter expellit, immota manens. Nec necesse est ut omne corpus moveat actu motum, sed satis est quod alias sit mobile, vel certe quod moveatur per accidens ad motum totius; sed de illo axiomate iterum infra dicetur.

33. *Qualis sit motus cordis explicatur.*— Ad posteriorem partem difficultatis, quia motus cordis, cum naturalis sit, ex contrariis componi videtur (nam consistit in continuo accessu et recessu inter eosdem terminos, non in modum circulationis, sed per dilatationem et constrictionem), ideo philosophis omnibus admirabilis ille motus visus est. Unde quidam[9] dixerunt non esse a natura particulari et intrinseca, sed ab universali natura et extrinseco motore. Quam sententiam ridiculam appellat D. Thomas, Opusc. 15, et merito, quia finis illius motus non est aliquid pertinens ad universalem naturam, sed ad particularem ipsius animalis, nimirum refrigeratio et moderatio caloris vitalis ipsius cordis, medio aere per respirationem attracto; et ideo est absolute necessarius ad vitae conservationem; non est ergo ex natura universali, sed ex particulari ipsius animalis; ergo oportet ut in ipsa natura animalis sit proprium principium illius motus, quia ea quae sunt ab intrinseco necessaria et perpetua, in ipsamet natura debent habere internum principium.

34. Ait igitur D. Thomas, in citato opusculo, illum motum effective provenire ab ipsa anima, quatenus est naturalis forma corporis. Quia vero statim occurrebat obiectio supra tacta, quod hoc non satis est ut distinguatur in partem moventem et motum ad sensum Aristotelis, ex quo sequitur totum cor se per se primo movere, addit D. Thomas motum illum

---

8 Toletus, lib. II de Anim., c. 4, q. 9.

9 Vide Zimaram, Theorem. 94, et Themistius, 1 de Anim., in Paraphr., c. 17. Cf. BHF, v. III, p. 195.

tribuendum esse generanti, quia ad modum propriae passionis ex ipsa forma naturaliter resultat, quam sententiam Capreolus et Ferrariensis supra sequuntur. Quod sane difficultatem non parvam habet, primo in explicando quo modo ab una et eadem facultate naturaliter agente possit tam varius motus resultare: quia virtus naturaliter agens est determinata ad unum; dilatatio autem et contractio seu accessus et recessus ab eodem termino sunt contrarii motus. Neque enim est simile de motibus animalium, qui etiam naturales dici possunt, quatenus quadam naturae necessitate fiunt; illi enim proficiscuntur ab appetitu, qui cognitionem sequitur, et variari potest iuxta varias apprehensiones, quae etiam variantur iuxta varias applicationes obiectorum; motus autem cordis non procedit ab appetitu, sed ex mera proprietate naturali. Neque etiam videtur simile, quod D. Thomas adducit de motu circulari caeli, in quo includitur accessus et recessus secundum diversas partes ad aliquem partialem terminum: tum quia in motu circulari illud reperitur sine ulla contrarietate motuum et cum vera continuitate partium motus; hic autem videtur esse vera contrarietas inter partes huius motus, unde vera quies inter eas intercedit. Tum etiam quia ille motus circularis non est ab interno principio activo, sed ab extrinseco motore. Haec vero difficultas aeque procedit, sive dicamus illum motum fieri a generante per resultantiam naturalem, sive ab ipso animali per propriam actionem; nam semper fit a facultate naturaliter agente. Et ideo nihil aliud dicendum occurrit nisi sensitivam animam, eo quod nobilior forma sit, habere posse facultates naturales quae in modo operandi superent inferiores formas; huiusmodi autem est haec facultas motiva quae est in corde; et ideo non omnino determinatur ad unum, nisi intra suam quasi sphaeram, id est intra illos terminos ad quos per dilatationem accedit, recedit autem per contractionem. Ex quibus partibus componitur integer motus, qui physice unus est, quamvis non sit mathematice continuus.

35. Hoc tamen supposito, difficile est motum illum tribuere generanti. Primo, quia est actus vitalis; actus autem vitae est a principio intrinseco, unde non debet reduci in extrinsecam. Fortasse non desit qui neget motum illum esse vitalem, quia non fit per appetitum et cognitionem. Hoc tamen improbabile est et contra omnes philosophos; licet enim dubitent an ille motus sit ab anima ut vegetativa, vel sensitiva, ut late Zimara, Theor. 12, tamen omnes conveniunt esse ab anima ut anima est, cum sit quasi fundamentum vitae. Secundo, absurdum videtur meam respirationem tribuere generanti et dicere quod ego non respiro; at respiratio etiam est actio naturalis, quae fit sine interventu appetitus, immo ex ipso motu cordis et pulmonis fit. Tertio, vix potest reddi ratio cur etiam nutritio non tribuatur generanti; nam etiam est mere naturalis et incipit extrinsece tantum ab instanti generationis, et perpetuo durat ex se, et, ut nutritio est (secus ut augmentatio), non tendit in aliquam perfectionem debitam ex vi generationis, sed ad conservandam vitam, reparando quod perditur. Sic ergo motus ille cordis incipit extrinsece ab instanti generationis, et semper durat de se, et non tendit ad aliquem locum debitum animali seu cordi ex vi generationis, sed fit ab ipso vivente ad conservationem vitae, cui motus ille deservit, saltem ut causa per accidens, vel ad removendum et expellendum aliqua corrumpentia, vel ad attrahendum aliquid refrigerans. Et ideo non existimo inconveniens hunc motum attribuere ipsi animali et asserere secundum eamdem partem integralem movere et moveri, satisque esse quod rationes agendi et recipiendi sint diversae; Aristoteles enim solum de motu totius animalis dixit fieri per motionem unius partis in aliam. Iuxta quam responsionem consequenter fatendum est non oportere *agens et patiens ut quod* distingui in hoc motu physico, eo quod vitalis et tantum partialis sit, quod nullum est inconveniens, ut magis ex tertia assertione patebit inferius, et videtur esse satis consentaneum menti Aristotelis, lib. de Communi animal. motu, in fine.

*Difficultas de motore caeli*

36. Tertia difficultas est, quia Aristoteles solum facit inductionem in sublunaribus corporibus; omittit autem caelestia, vel potius ex illis ad haec argumentum facit; non videtur autem efficax, saltem ad inferendum caelum moveri ab alio motore ut quod, sed ad summum ab alio ut quo, id est, a propria forma. Quid enim, si quis dicat formam caeli esse quoddam speciale genus animae, ad quam talis motus naturali necessitate consequitur, non per unam

partem integrantem in aliam, sed in qualibet parte per seipsam, mediante sola forma et facultate naturali, sicut paulo antea dicebamus de motu cordis? Respondetur verum esse Aristotelem non assumpsisse in sua inductione corpora caelestia, sed ex inferioribus, quae nobis sunt nota, argumentari ad superiora, quae minus nota sunt. Erit autem efficacissimum argumentum si supponamus motum illum non esse ita naturalem illis corporibus secundum proprias et particulares naturas, sicut est motus cordis aut gravium et levium, quia ille motus neque ordinatur ad conservationem vel perfectionem aliquam illorum corporum, neque ad aliquem locum naturaliter eis debitum. Quo discursu utitur D. Thomas, III cont. Gent., c. 23, rat. 4, ut probet motum caeli non esse ab intrinseca forma. Tunc enim motus a forma naturaliter manat cum locus comparatus per talem motum debetur mobili ratione suae formae, ut patet in omnibus corporibus naturalibus; locus autem quem caelum acquirit per motum circularem non est ei debitus ratione formae, quia nihil ad perfectionem vel inclinationem formae eius refert habere potius hoc Ubi quam aliud, scilicet in ordine ad diversas partes suas, verbi gratia, habere solem in hoc hemisphaerio potius quam in alio. Accedit dici non posse caeli formam ob solum motum localem esse animam, ut in superioribus tactum est et inferius etiam dicetur, tractando de intelligentiis. Unde etiamsi quis contendat illum motum ita esse naturalem caelo sicut sunt alii motus corporum naturalium, nihilominus debet illum motum reducere in auctorem caeli tamquam in eum qui impetum impressit ad illum motum, sicut gravia et levia dicuntur moveri a generante. Quod si quis negaret caelum habere auctorem, sed ex se esse et habere inclinationem et facultatem naturalem ad illum motum, talis error confutandus esset aliis metaphysicae principiis; nam ex solo motu physico id fieri non potest, ut infra latius dicemus, quamquam per se incredibile sit rem quae indiget motu, vel ad suam perfectionem vel etiam ad suam actionem, habere ex se esse absque alterius communicatione seu productione.

37. *Ex difficultatibus praemissis conclusio elicitur, et ratione probatur*.— Ex his ergo satis videtur inductione constare omnem motum localem corporalem ac physicum requirere motorem seu efficientem causam distinctam a moto. Ratio autem huius necessitatis primo reddi potest in illo principio Aristotelis, quod nihil potest simul esse in potentia et in actu. Quod tamen limitandum est et accommodandum eo modo quo diximus de motu alterationis. Quamquam revera adhuc minorem vim habere possit in motu locali, eo quod localis motus aut terminus eius, per se loquendo, non sit principium seu virtus aut actus a quo procedit similis motus, sed facultas aliqua motiva superioris rationis ab ipso motu. Esset autem efficax illud principium in corporibus, si verum esset aliud axioma satis receptum et Aristoteli tributum, quod *corpus non movet localiter, nisi motum etiam localiter*; nam, sive ille motus requiratur ut ratio movendi sive ut conditio, iam supponitur corpus debere esse actu motum ut movere possit. Et inde optime infertur non posse esse mobile a se, quia non potest simul esse in actu et in potentia. Verumtamen illud axioma non est receptum ab omnibus[10] et videtur nonnullas instantias pati; nam magnes immotus manens attrahit ferrum, etc. Sed dicendum est dupliciter posse unum corpus movere aliud. Primo, per se et immediate, nihil aliud imprimendo praeter motum; et tunc revera nunquam movet nisi motum localiter. Secundo, contingit moveri localiter, praevia alteratione, et hoc modo magnes attrahit ferrum; et tunc quidem contingit unum corpus, manens immotum, movere aliud. Tunc vero, saltem ob eam rationem quod ille motus fit media alteratione, necessarium erit motorem a mobili distingui; et ita ratio facta erit efficax in motu locali, vel immediate ratione sui (ut sic dicam), vel mediate ratione alterationis, si mediante illa fit.

38. *Alia Aristotelis ratio examinatur*.— Aliam vero rationem adduxit Aristoteles, VII Phys., text. 2, ut probet corpus non posse a se per se primo localiter moveri, quae in summa haec est: *Omne quod movetur est divisibile in partes; ergo non potest se per se primo movere*. Probatur consequentia, quia quod movet se per se primo non quiescit ex eo quod aliud quiescat aut movere desinat; nam cum se moveat, non pendet ab alio in suo motu. At vero, cum mobile habet partes, quiescente parte eius, vel quiescit totum, et sic non movetur per se primo, sed ab ea parte, qua quiescente, moveri desinit; vel adhuc movetur, et sic etiam sequitur non se movere per se primo, sed ab ea parte a qua moveri dicitur,

[10] Vide Zimaram, Theorem. 94. Cf. BHF, v. III, p. 199.

quiescente alia. De qua ratione multa scripta sunt ab expositoribus, multique illam existimant esse demonstrationem, ut Alexander, Simplicius, Averroes, D. Thomas, qui differunt. Nam Averroes putat esse demonstrationem a posteriori tantum, D. Thomas autem vult esse a priori, significans divisibilitatem mobilis esse causam ob quam non possit moveri per se primo. Aliis autem videtur sophistica ratio et inefficax.

39. Et sane videtur esse aequivocatio in termino illo *per se primo*. Duobus enim modis intelligi potest aliquid moveri per se primo. Unus est, quod motus totius mobilis ita conveniat toti ut a nullo alio pendeat, etiam a partibus. Et hoc sensu recte probat ratio non posse corpus movere se per se primo. Sed hoc nil refert ad concludendum necessariam esse distinctionem inter motorem et mobile, quia illa dependentia totius a partibus potest esse tantum materialis et non effectiva, nisi forte respective, id est, in quantum unaquaeque pars movet seipsam, ut statim declarabitur. Alio ergo modo dici potest aliquid movere se per se primo, quia secundum omnem suam partem movet et movetur, ita ut nulla pars moveat aliam, neque totum ut sic, sed unaquaeque moveat seipsam, et ita partialiter concurrat ad motum totius, qui ex motibus et motionibus omnium partium consurgat. Et quidem, si aliquid se moveat hoc modo, propriissime dicetur ita se movere per se primo ut in eo non distinguatur movens a mobili. Quod autem non possit aliquod corpus ita se movere non potest efficaciter concludi praedicta ratione, etiamsi utrumque illius membrum concedatur. Primo enim fieri potest ut, quiescente parte, totum omnino quiescat secundum omnem suam partem, non quia totum a sola una parte moveretur, sed quia dum una pars desinit se movere et quiescere, resistit alteri et impedit illam ne se moveat, quod non solum in diversis partibus, sed etiam in diversis mobilibus videre licet; nam si duo lapides deorsum moveantur unus post alium, si prior detineatur impediet etiam alium ne descendat, non quia illum ante moveret, sed quia resistit motioni, qua ipse se movebat. Deinde fieri potest ut, quiescente parte, non quiescat totum secundum omnem suam partem, sed tantum secundum illam quae quiescere dicitur, secundum alias vero adhuc moveatur; ut cum, quiescente radice arboris, reliquae partes agitantur. Et ex hoc etiam non sequitur quod totum prius moveretur a sola illa parte, quae adhuc se movet, sed solum sequitur illam concurrisse ad integrum motum totius simul cum aliis partibus.

40. *Explicatur aristotelicum axioma*.– Unde illud axioma: *Quod movet se per se primo non quiescit ad quietem alterius*, duplici distinctione limitandum est. Per se enim verum est non quiescere unum mobile quiescente alio a quo non movebatur; per accidens autem, et quia ponitur impedimentum, fieri potest ut quiescat. Rursus, si illud aliud quod quiescit non sit omnino extrinsecum, sed pars moventis et mobilis, recte fieri potest ut, quiescente illo, desinat moveri totum per se primo, id est,[11] secundum omnem suam partem, non quia totum non se moveret per se primo, sed quia movebatur partialiter ab illa parte; haec enim duo inter se non pugnant, ut per se manifestum est. Quod ergo totum ut totum a partibus pendeat, non obstat quominus motus totius per se primo proveniat ab eodem toto. Et declaratur aperte, nam alias eodem modo probaretur non posse corpus per se primo moveri ab alio, quod est aperte falsum; nam caelum per se primo movetur ab intelligentia, et terra per se primo movetur, cum fertur deorsum, licet a generante. Et sequela patet, nam in his etiam verum habet quod si pars caeli quiesceret, totum quiesceret, vel saltem non per se primo moveretur sicut antea, quia motus per se primo totius pendet a motu partis materialiter, ut a parte integrante. Sicut e contrario tota terra per se primo quiescit in centro, et tamen si pars desineret quiescere, totum iam non per se primo quiesceret, non quia totum quiesceret effective a parte, sed quia quies totius consurgebat quasi materialiter ex quiete partis. Et dum tota aqua est frigida, per se primo dici potest tota frigescere; et tamen si pars incipiat calefieri, iam non tota est per se primo frigida, sicut antea, non quia totum active frigesceret a parte, sed quia frigiditas ut conveniens per se primo toti consurgebat quasi materialiter ex frigiditate partium. Ex dependentia ergo motus totius, ut per se primo moti vel

[11] id est, 1960; id non est *alit.* "Algunas ediciones intercalan la palabra 'non' por considerarla imprescindible para el recto sentido de este párrafo. Sin embargo, en otros pasajes, p. ej. en el número 52 de esta misma sección, Suárez usa la misma expresión sin la negación." Cf. BHF, v. III, p. 202.

moventis, a motu vel motione singularum partium, non potest concludi totum moveri a parte nisi partialiter et (ut sic dicam) respective, id est, quatenus unaquaeque pars seipsam movet, quae dependentia non tollit quominus idem seipsum moveat. Unde non video quomodo illo discursu dictum axioma demonstretur. Aliae ergo probationes adductae probabiliores sunt.

*Tertia assertio de motu spiritualium rerum*

41. *Spiritus seipsum potest loco movere*.— Dico tertio: causa efficiens per motum vel actionem aliquo modo transeuntem, in re spirituali non semper distinguitur in re a causa materiali seu recipiente motum, nisi ad summum quantum ad rationem agendi et recipiendi. Haec conclusio praecipue ponitur propter motum localem angelorum, quem voco aliquo modo transeuntem, quia, quantum est ex ratione talis motus, fieri potest ab uno agente in aliud suppositum, et quia revera per se non est actus immanens in potentia, per quam proxime efficitur. Hoc ergo motu certum est angelum, intelligentiam vel animam separatam posse seipsam movere, efficiendo in se motum; nam, ut infra suo loco attingemus, motus quo substantia spiritualis movetur non est in alia re distincta, sed in ipsamet substantia quae movetur. Et est fere ex terminis evidens, quia res non dicitur moveri per denominationem extrinsecam, sed per veram mutationem realem, quae aliquam efficientem causam necessario habere debet, et non aliam nisi ipsammet substantiam spiritualem motam, quando ipsa se movet. Tunc ergo non potest causa efficiens a recipiente distingui supposito, quia supponimus idem suppositum se movere; neque etiam potest distingui in partem per se moventem et motam, quia non habet partes; ergo ad summum distingui potest ratio efficiendi a ratione recipiendi motum vel terminum eius. In quo etiam variae sunt opiniones; suppono tamen ut probabilius motum illum immediate recipi in substantia angeli; nam, sicut corpus per quantitatem est praesens loco, ita angelus immediate per substantiam suam; non enim habet quantitatem neque in eo fingi potest aliud accidens quo mediante sit capax praesentiae localis. Loquor autem de proximo et immediato subiecto illius praesentiae, quidquid sit an ad illam actionem requiratur aliqua actio vel contactus virtutis respectu corporis; id enim ad praesens non refert, nam id quod fit in angelo per motum localem non est actio in corpus, sed est realis praesentia eius; haec autem immediate afficit substantiam angeli; eadem ergo substantia est ratio recipiendi talem motum, quia in eodem proximo subiecto sunt motus et formalis terminus eius.

42. *Quod sit principium proximum motus localis in spiritibus*.— De ratione autem efficiendi illum motum variae sunt opiniones; nam quidam ponunt fieri immediate per voluntatem; unde supponendo, ut nos supponimus, voluntatem esse rem distinctam a substantia, fit rationem proximam efficiendi illum motum esse distinctam in re a ratione recipiendi. Qui autem negant potentiam voluntatis distingui in re a substantia, fortasse dicerent actualem volitionem se movendi esse proximam rationem efficiendi illum motum, et illam esse a substantia distinctam. Alii autem non existimant voluntatem aut volitionem esse principium proximum ac per se efficiendi motum illum,. sed esse peculiarem virtutem motivam, volitionem autem esse applicationem seu imperium illius virtutis motivae, quae, sicut. in nobis et aliis animalibus distinguitur ab appetitu, ita in angelis a voluntate. Illam autem virtutem aliqui existimant non esse in re distinctam a substantia. Iuxta quorum opinionem etiam ratio agendi et recipiendi hunc motum non distinguuntur in re, sed ratione tantum. Nos autem probabilius existimamus virtutem illam motivam, etiamsi. credatur in re distincta a voluntate, esse etiam in re distinctam a substantia angeli, ex generali principio supra posito, quod proxima facultas ad actionem accidentalem in creatura est accidens a substantia distinctum; et ita concludimus proximum principium quo efficiendi motum illum esse in re distinctum a subiecto in quo recipitur. Et ratio est quia hoc principium est potentia mere activa, quae non agit nisi in praesupposito subiecto; ergo requirit in illo potentiam passivam a se distinctam. Et hoc confirmat definitio illa Aristotelis, IX Metaph., dicentis *potentiam activam esse principium transmutandi aliud in quantum aliud*, de qua paulo inferius plura dicemus.

43. Neque contra hanc conclusionem obstat principium illud Aristotelis: *Omne quod movetur, ab alio movetur*, nec rationes quibus ab ipso confirmatur; nam, ut supra notavi, Aristoteles locutus est de motu physico et materiali; hic autem motus intelligentiarum non est

huiusmodi, et satis dubia res est an Aristoteles illum motum cognoverit vel potius existimaverit intelligentias esse omnino immobiles. Unde inductio eius intelligentias non comprehendit, ut per se constat. Neque etiam illa ratio, quae supponit mobile esse divisibile in partes. Ratio autem alia, quod non possit res simul esse in potentia et in actu, optime hic dissolvitur per distinctionem de acto virtuali et potentia formali; et ad summum probat distinctionem principii quo agendi a subiecto recipiente. Angelus enim existens in caelo est in potentia formali ut sit in terra; actu tamen habet virtutem qua possit se movere et facere praesentem terrae. Neque hic habent locum limitationes supra positae, cum quibus diximus illud principium esse verum etiam de actu virtuali; nam una limitatio erat ut intelligeretur respectu motus physici; hic autem motus de quo agimus non est physicus. Alia vero, scilicet quod oporteat rem esse in praeternaturali statu, hic non est necessaria, quia in hoc superant res viventes eas quae non vivunt, quod possunt se movere etiam quando in suo naturali statu existunt; et ideo in eodem possunt habere actum virtualem simul cum potentia formali ad aliquem motum.

44. *Rerum ab intrinseco localiter se moventium tres ordines*.— Unde ex discursu hactenus facto licet colligere tres ordines rerum se moventium localiter aliquo modo a principio intrinseco. Primus est earum quae solum ita moventur quando sunt in praeternaturali statu, et in his licet principium motus in eis sit, non tamen ut earum proprium, sed ut instrumentum seu virtus alterius; et huiusmodi sunt res inanimatae. Aliae vero sunt res quae proprie se movent a principio intrinseco ut sibi proprio, non tamen perfecte et per se primo, sed per unam partem movendo aliam, et ita quasi per accidens movendo totum; et ad summum possunt unam sui partem per se primo movere, illam, scilicet, quae est veluti fundamentum motus aliarum. Et huiusmodi sunt viventia corporea. In tertio vero et superiori ordine sunt res quae non solum se movent per intrinsecum principium ut proprium, sed etiam se per se primo movent secundum se totas, quia non habent partes, et ideo in eis principia agendi et recipiendi ut quod distingui non possunt, sed ad summum principia quibus. Estque hoc consentaneum perfectioni harum rerum, quia inter creaturas viventes perfectissimum gradum possident.

*Quarta assertio de actionibus immanentibus*

45 Dico quarto: in causa efficienti actum immanentem non solum non distinguuntur semper principia ut quod agendi et recipiendi, verum potius non semper necesse est in re distingui principia ut quo, licet saepe ita accidat. Prima pars huius assertionis est manifesta sequiturque ex ipsa ratione actionis immanentis; recipitur enim in ipso operante, et ideo necesse non est ut suppositum agens distinctum sit a recipiente, neque etiam ut secundum diversas partes agat et recipiat. Tum quia saepe non habet partes; tum etiam quia haec actio in eadem potentia recipitur a qua elicitur; et ideo etiam in supposito habente partes fit et recipitur in eadem parte. Atque hinc reddi potest ratio in generali secundae partis conclusionis; nam, cum actio immanens non solum in eodem supposito, sed etiam in eadem potentia efficiens maneat, nil vetat quominus etiam in proximo principio quo, agente et recipiente illam, non inveniatur in re distinctio.

46. Ut autem haec pars et tota conclusio declaretur amplius et probetur, oportebit magis in particulari has actiones immanentes distinguere et quomodo in singulis assertio locum habet declarare. Omnes igitur hae actiones aut ad cognitionem pertinent aut ad appetitum; et esse possunt vel in parte rationali, vel in sensitiva. Rursus in omnibus illis considerari potest vel principium quo principale seu substantiale, vel proximum seu accidentale. In his ergo actionibus quatenus sunt in parte sensitiva facile distingui potest principium quo principale agendi et recipiendi; nam illud est anima, ut ex definitione animae manifestum est; hoc vero est corpus. Nam, iuxta veram doctrinam, hae operationes sensitivae, cum materiales sint, recipiuntur in corpore vel in toto composito ratione materiae. Prout vero hae operationes reperiuntur in parte intellectuali, non distinguitur in his principale principium agendi et recipiendi, nisi tantum ratione; nam utrumque munus exercet eadem substantia simplex angeli vel animae. Quod enim quidam aiunt, in ipsamet substantia distingui illa duo, quia agit per esse tamquam per actum et recipit per essentiam tamquam

per potentiam, et falsu supponit distinctionem in re inter esse et essentiam actualem et, illa etiam admissa, non consequenter dicitur; nam, supposita illa opinione, esse non est ratio agendi, sed est conditio sine qua essentia non ageret; similiter autem est conditio sine qua essentia non reciperet operationem; ipsa autem essentia existens seu habens talem conditionem est principium agendi et recipiendi talem operationem. Unde in anima Christi, etiamsi, iuxta illam sententiam, non habet esse existentiae creatum, nihilominus principium principale eliciendi intellectionem creatam non est ipsum esse increatum, sed substantia ipsius animae secundum proprium esse essentiae.

47. *In cognoscitivis operationibus an ratio agendi a recipiendi distincta.— Intellectionem non sola species, sed intellectus etiam efficit.*— At vero in principio proximo et accidentali alia ratio esse videtur de actionibus cognoscendi quam de actionibus appetendi, tam in rationali parte quam in sensitiva. Nam in actionibus cognoscendi semper aut fere semper distinguitur proximum principium agendi a principio proximo recipiendi. Ratio est quia ad efficiendam hanc actionem praeter facultatem vitalem requiritur species supplens vicem obiecti et loco illius concurrens ad actum. Et ita principium agendi est potentia ut informata specie, principium autem recipiendi est sola potentia, quia obiectum seu species eius non iuvat ad recipiendum, sed solum ad agendum; quare distinguitur aliquo modo principium proximum agendi et recipiendi. Dico autem aliquo modo, quia non distinguuntur nisi ut includens et inclusum; est enim improbabilis opinio eorum qui existimant totam rationem agendi esse speciem et potentiam esse solum rationem recipiendi, quam merito impugnat Scotus, In II, dist. 3, q. 8; immerito tamen eam tribuit D. Thomae, qui nullibi eam insinuavit; estque valde improbabilis, quia actus vitae necessario esse debet active ab intrinseca facultate vitali. Certum ergo est eamdem cognoscitivam potentiam, in qua proxime recipitur actus cognoscendi, esse simul principium proximum efficiendi eumdem actum; differt tamen, quia recipiendi est adaequatum principium proximum, non tamen agendi, sed simul cum specie, iuxta probabiliorem doctrinam, de qua videri potest Capreolus, In II, dist. 3, q. 2; et Scot., In I, dist. 3, q. 7; Aegid. et Ferrar., locis statim citandis.

48. *In intellectione qua se angelus intelligat, quae distincta ratio agendi ac recipiendi.*— Solum afferri potest instantia de actu illo, quo angelus se videt absque iuvamine speciei per suam substantiam, iuxta veriorem sententiam, licet alii aliter sentiant, ut infra videbimus tractando de intelligentiis; intellectio ergo illa idem habet adaequatum principium agendi et recipiendi, nimirum, substantiam et intellectum angeli. Fortasse quis respondeat illum actum tribui generanti seu auctori naturae, eo quod mere naturalis sit et ad convenientem naturae statum a primo instanti creationis ab intrinseco necessarius. Sed haec attributio in propriis actibus vitalibus non videtur adeo extendenda, praesertim loquendo in rigore physico, nam moraliter facilius potest usurpari, ut paulo post dicam. Itaque non censeo inconveniens illud admittere in his actibus, si necesse sit, ut in assertione significavi et statim magis declarabitur. In illo tamen actu non est tam absoluta necessitas, sed aliqua distinctio in re intelligi potest inter principium proximum efficiendi et recipiendi illum actum; nam cum substantia angeli ad alias intellectiones uno tantum modo concurrat, scilicet ut principium principale, ad illam concurrit duplici modo seu titulo, scilicet, ut principale principium et ut obiectum ac veluti ultima forma sui intellectus in esse intelligibili. Atque ita principium proximum illius actus non est sola potentia intellectiva, sed ut constituta suo modo in actu primo per suam substantiam sibi coniunctam in ratione obiecti intelligibilis actu. Potentia vero proxime receptiva ac tota ratio recipiendi illum actum est solus intellectus; neque sub hac ratione habet substantia maiorem concursum ad illum actum quam ad alios. Ita ergo fit ut etiam in eo actu adaequatum principium proximum agendi et recipiendi distinguantur ut includens et inclusum.

49. *Obiecti cognitio an effective influat in volitionem.*— De actionibus vero appetitus et voluntatis specialis est difficultas, quia hae potentiae non indigent speciebus, et ita videntur per suas solas entitates esse principia agendi et recipiendi suos actus. Propterea dicunt aliqui ad actus appetitus concurrere effective cognitionem obiecti. Ita Soncinas, IX Metaph., q. 10, 11 et 13, quod etiam multi theologi tenent, ut latius traditur in I-II. Haec tamen sententia mihi non probatur; existimo enim notitiam obiecti solum concurrere ad actum appetitionis ut conditionem necessariam per modum applicationis obiecti, quia

voluntas non movetur nisi a bonitate obiecti. Quapropter, si motio illa, ut est ab obiecto, non est effectiva, ut revera non est, sed finalis et metaphorica, quod etiam Soncinas fatetur supra, q. 12, et alii, ut est a cognitione non est cur sit effectiva, quia praesentato obiecto bono non indiget appetitus extrinseco agente ut feratur in illud, sed ex naturali inclinatione ferri potest, seu potius anima, ut[12] vivens per illam.

50. *Finis appetitus an generanti tribuenda*.— Alii dicunt appetitionem finis, quamvis a sola voluntate fiat, esse tamen tribuendam generanti seu auctori naturae, appetitionem autem mediorum non fieri a voluntate sola, sed mediante appetitione finis, recipi autem in sola voluntate, atque hac ratione distingui in hoc actu principium agendi et recipiendi. Nam vel ipsa principia interna distincta sunt in re aliquo modo, vel certe, si in ipso agente proximo non distinguuntur, actio tribuitur extrinseco agenti. Ita sentiunt de intentione finis thomistae, Caiet., I-II, q. 9, a. 4; Ferrar., III cont. Gent., c. 89, ubi D. Thomas id significat; et Capreol., In II, dist. 25; et ibidem Aegid., q. 5. Sed licet haec attributio secundum quamdam moralem considerationem sustineri possit, eo quod homo non ita se movet moraliter in intentione finis ut sic sicut in consultatione et electione mediorum, de quo alias, tamen quoad realem efficientiam non videtur probanda neque negandum quin homo ipse sit qui propria virtute, et non ut instrumentum alterius, efficit intentionem finis; maxime in actibus contentis intra ordinem naturae, quos voluntas propria virtute elicit cum solo concursu generali; non ergo potest haec actio magis tribui Deo quam calefactio ignis. Praesertim quia non solum est actio vitalis, sed etiam saepe est libera, unde nullo modo fit per naturalem resultantiam neque est debita secundum illum connaturalem statum quem res postulat in instanti suae generationis.

51. Quapropter merito Scotus, In II, dist. 25, et Henricus, Quodl. IX, q. 5, et alii, negant illum actum esse tribuendum generanti. Idemque dicendum est de multis aliis simplicibus actibus quos voluntas elicit ex se sine alio priori actu, ut est desiderium aut complacentia, vel simplex amor alicuius boni cogniti. Accedit quod discursus ille non habet locum in appetitu sensitivo, qui non operatur propter finem formaliter; unde in eo non est electio proprie, quae ex intentione finis, ut ex proxima ratione agendi, procedat, sed omnes actus appetendi proxime procedunt ex ipsa naturali inclinatione talis appetitus; ergo vel dicendum est omnes actus huius appetitus tribui generanti, quod est ridiculum vel certe fatendum est eamdem omnino potentiam per seipsam esse principium proximum agendi et recipiendi talem actum. Atque ita concedunt Scotus, Henricus et alii supra citati, et late Antonius Andr., IX Metaph., q. 1. Nec video quid incommodi inde sequatur, ut propter illud vitandum Soncinas, Iavellus et alii tam scrupulose inquirant in omni potentia agente et recipiente aliquod comprincipium agendi et non recipiendi, ideoque confugiant ad efficientiam notitiae respectu amoris; quae si aliis rationibus non ostenditur necessaria, ob hanc causam immerito asseritur. Nullum enim aliud incommodum ipsi afferunt, nisi quod idem secundum idem esset agens et patiens, et consequenter secundum idem esset in potentia et in actu, quae est implicatio contradictionis. Hoc vero inconveniens, si superius dicta considerentur et termini intelligantur, nullum est; nam eamdem facultatem esse in actu primo et in potentia ad actum secundum immanentem nulla est repugnantia, quia actus primus non includit formaliter secundum, sed virtutem ad eliciendum illum, quam potest habere eadem facultas quae est potentia receptiva eiusdem actus; estque hoc consentaneum naturae talis actus, cum sit immanens; et hoc est quod alii dicunt, eamdem, scilicet, facultatem esse posse simul in actu virtuali et in potentia formali. Unde, sicut eodem actu secundum rem constituitur res actu agens et recipiens, et sicut eadem res est actio et passio secundum diversas habitudines, ita eadem facultate secundum rem potest suppositum constitui in ratione agentis et patientis in potentia; quare in hoc sensu non est inconveniens quod idem secundum idem constituatur agens et patiens, si cum proportione sumatur, id est, utrumque in potentia vel utrumque in actu, et illud secundum idem tantum reduplicet vel designet eamdem rem, non vero eamdem habitudinem seu eamdem rationem formalem conceptam ac praecisam mentis operatione.

---

[12] ut, 1960; *alit.* aut.

*Corollaria superioris doctrinae et formalis quaestionis resolutio*

52. Ex his quae hactenus diximus, ut quaestioni propositae formaliter et universe respondeamus, sequitur primo non esse de ratione aut necessitate causae agentis, ut sic, quod distinguatur supposito a patiente. Hoc iam in principio suppositum est et probatum, et ex toto discursu facto evidentius constat. Unde, si in aliquibus necessaria est talis distinctio, id non provenit ex generali ratione causae efficientis, sed ex speciali ratione talis causae. Ut, verbi gratia, in efficientia per substantialem generationem necessaria est suppositalis distinctio (ut ita dicam) inter agens et patiens, quia necesse est ut differant in esse simpliciter et in substantialibus formis; eademque distinctio necessaria est inter quodcumque generans et genitum, quia idem suppositum non potest generare seipsum, eo quod ad generandum necessario supponatur. At vero ad nutritionem seu ad substantialem aggenerationem, si consideretur patiens in initio actionis seu alterationis, etiam esse debet suppositum distinctum, quia necesse est ut sit substantia dissimilis, in ipso autem instanti aggenerationis non est iam suppositum distinctum, sed nova pars eiusdem suppositi, quia per illam actionem convertitur et unitur praeexistenti supposito. Causa vero efficiens per accidentalem actionem vel motionem, in rebus inanimatis solet esse supposito distincta, maxime quando patiens movetur per se primo, id est, secundum omnem suam partem; tamen id non provenit ex necessitate causae efficientis ut sic, sed ex imperfectione et propria conditione rerum inanimatarum, ut declaratum est. Similiter observare oportet hoc esse intelligendum de causa particulari et per se; nam si sit sermo de causa prima et universali, clarum est debere esse supposito distinctam ab effectu et a subiecto patiente, si per mutationem agat, quia non potest agere in seipsam, eo quod purus actus sit. Et similiter, si causa sit per accidens et remota, id est, quae produxit proximam causam eique dedit virtutem agendi, sic etiam erit suppositum distinctum, quia supponitur substantialiter produxisse causam proximam. Unde axioma illud Aristotelis: *Omne quod movetur ab alio movetur*, quamvis intellectum de proximo movente et per se non semper verificetur de alio supposito, tamen indifferenter intellectum de aliquo movente, sive proximo sive remoto, particulari aut universali, semper invenietur quodlibet mobile moveri ab aliquo supposito distincto, vel (ut terminis metaphysicis utamur) quodlibet patiens pati ab aliquo efficienti suppositaliter distincto. Hoc tamen demonstrari non potest per medium pure physicum, sed per metaphysicum, scilicet, quia nulla causa agens particularis habet a se virtutem agendi, sed ab alio supposito, neque etiam potest per se agere sine concursu superioris causae, ut infra constabit ex his quae de Deo et prima causa dicemus.

53. *Ex dictis illatio*.— Secundo sequitur ex dictis non esse de ratione aut necessitate causae efficientis ut sic quod distinguatur a patiente secundum diversas partes substantiales, sive essentiales sive integrales, sed in agentibus in quibus haec necessitas reperitur, id provenit ex peculiari aliqua ratione, non ex vi efficientiae ut sic. Haec omnia constant ex dictis; nam prior pars in tertia et quarta conclusione demonstrata est, reliquae in superioribus. Quod enim in viventibus materialibus requiratur distinctio partium integrantium ad se movendum prima actione vitali, quae est per nutritionem, provenit primo ex ratione alterationis materialis quae ibi intervenit, secundum quam non potest idem agere in seipsum, nec simile in simile, ut dicitur I de Generat., text. 48, eiusque ratio in prima et secunda assertione declarata est; provenit secundo ex aggeneratione substantiali; non enim potest eadem pars seipsam substantialiter formare, ut per se constat. Tertio, provenit ex eo quod ad verum augmentum necesse est novam quantitatem addi praeexistenti, quia non potest eadem pars per suam solam quantitatem augere seipsam. Unde, eo modo quo in rebus inanimatis potest inveniri augmentum imperfectum per iuxtapositionem, necesse est ut secundum diversas partes fiat actio. Idemque est de alteratione, si contingat rem inanimatam alterare seipsam ita ut ei tribuatur actio; solum enim accidere potest secundum diversas partes, si contingat esse inaequaliter affectas, quod est per accidens in huiusmodi rebus. Rursus, quod in animalibus se moventibus localiter id fiat per distinctionem partis integrantis moventis et motae, non provenit ex ratione efficientis aut moventis ut sic, sed ex eo quod tale efficiens et tale vivens est imperfectum, et ideo non participat intrinsecam et naturalem vim ad movendum se totum per se primo, quod fortasse etiam provenit ex materialitate ipsius corporis, quod non potest ita moveri ab anima, sed per partes et diversa organa seu

instrumenta. Hinc tamen fit probabile non repugnare huic viventi quod aliquam sui corporis partem integrantem possit per se primo movere, id est, non per aliam priorem partem integrantem, sed per seipsam. Tamen in illamet parte, et in universum in omni agente materiali, distinguentur essentialia principia agendi et patiendi, quod non provenit ex praecisa ratione efficientis causae particularis ut sic, sed ex particulari imperfectione substantiae materialis, quae non est activa secundum se totam, sed tantum ratione formae.

54. Tertio sequitur ex dictis non esse de ratione causae efficientis ut sic ut ratio agendi et patiendi sint in re distinctae, vel subiecto vel entitate integra aut partiali, sed quotiescumque id reperitur (quod est frequens) provenit ex aliqua particulari ratione. Hoc etiam totum patet ex dictis; nam haec conditio interdum deest; ergo non est per se et universaliter necessaria ex vi efficientiae. Igitur, quod ratio agendi et patiendi subiecto distinguantur, ibi solum necessarium est ubi actio vel a supposito distincto, vel per partes realiter distinctas exercenda est, et inde provenit illa necessitas. Quae quidem necessitas universalis est in actione univoca, ex illo principio quod *idem non possit simul esse in actu et potentia*. In actione autem aequivoca non ita universaliter urget illud principium, neque aliud quod universale sit, et ideo in diversis causis ex diversis principiis oritur, ut explicatum est. Rursus, quod illa principia agendi et patiendi debeant esse re distincta in tota sua entitate, etiamsi contingat esse in eodem subiecto et in eadem parte integrali eius, vel ex eo provenit quod principia illa sunt substantialia et propria rerum materialium, nimirum, materia et forma, vel certe, si sint accidentalia principia, praesertim illud quod est ratio agendi, id provenit ex eo quod actio non est immanens, sed ex suo genere est transiens, ut patet in motu gravis, quatenus gravitas consideratur ut principium activum eius. Et idem a fortiori est in motu cordis, et clarius in motu angeli se moventis. Praeterea, quod principium proximum agendi et patiendi, cum nec subiecto nec entitate integra distinguuntur, saltem differant in re aliqua quam includit principium agendi et non patiendi ut sic, invenitur in quibusdam agentibus actione immanenti, non tamen provenit ex communi ratione agentis ut sic, ut ex dictis constat, neque etiam ex communi. ratione actionis immanentis ut sic, quia nulla est ratio cur actio immanens ut sic illam distinctionem postulet, immo quodammodo magis erit immanens, si in eodem omnino principio maneat a quo proxime elicitur. Provenit ergo ex eo quod talis actio fit per quamdam assimilationem, et ideo requirit ultra intrinsecam facultatem, principium proprium talis assimilationis. Atque ita relinquitur ut in actione immanenti quae illam assimilationem non requirit, neque ex alia particulari conditione sua postulat aliquod principium coadiuvans per modum efficientis, sed solum concurrens in genere finis aut formae extrinsecae, respectu (inquam) talis actionis non oporteat principium agendi esse in partiali etiam entitate distinctum a principio recipienda. Et est sane hic modus agendi satis consentaneus voluntati, tum ob libertatem eius, tum ob communem rationem appetitus, ad quem spectat ut ex sola sua inclinatione et efficacitate ferri possit in subiectum sibi propositum. Posset autem hic considerari nonnulla diversitas in principio agendi et recipienda actum appetitus; nam, ut supra dixi, ad actum vitae concurrunt effective et immediate in suo ordine non tantum potentia, sed etiam substantialis forma; at vero ad recipiendum actum proxime et immediate videtur concurrere sola potentia. Sed haec differentia et est incerta; nam fortasse accidens, et maxime actus vitalis, non solum attingit inhaerendo potentiam accidentalem, sed etiam ipsam substantiam. Et quidquid in hoc asseratur propter alias rationes, propter praesentem causam non est necessarium, quia revera nullum est inconveniens quod eadem facultas quae est proximum principium suscipiendi actum immanentem sit per seipsam sufficienter constituta in actu primo tamquam sufficiens principium proximum effectivum eiusdem actus.

55. *Contra praedicta obiectio prima. Secunda*.— Non desunt tamen nonnullae obiectiones contra ultimam partem huius resolutionis. Prima ac praecipua sumitur ex Aristotel., IX Metaph., text..2, ubi dicit potentiam activam esse principium transmutationis in alio, ut aliud est; ergo repugnat potentiam activam adaequate esse principium transmutandi seipsam. Unde statim subdit potentiam patiendi esse principium mutationis passivae ab alio in quantum aliud est. Et V Metaph., c. 11, text. 17, eodem modo definit potentiam agentem et patientem; ergo ex praecisa ratione agentis et patientis requiritur distinctio inter ea, saltem

quoad principia agendi et patiendi. Unde Aristoteles, de Gener., c. 7, magnum absurdum existimat quod idem a seipso patiatur. Et I Metaph., c. 3, hoc ponit principium: *Neque id quod subiicitur suam ipsius mutationem efficit*; et hoc dicit fuisse initium inveniendi causam efficientem distinctam a materiali. Secunda obiectio et vulgaris est, quia idem non potest referri realiter ad seipsum; sed causa efficiens refertur realiter ad effectum; ergo non potest idem secundum rem agere in seipsum. Et confirmatur, nam si secundum eamdem rem est simul in potentia activa et receptiva, cur non semper se immutat? Confirmatur secundo, quia agens debet approximari passo; idem autem non potest sibi ipsi secundum idem approximari.

56. *Potentiae activae et passivae ab Aristotele traditae definitiones explicantur.— Relatio fundata in actione, inter effectum et causam intercedit.— Potentiae activae cur ab actuali operatione cessent aliquando*.— Ad loca Aristotelis responderi potest primo, in illis definitionibus loqui de potentia pure activa et pure passiva, praeter eas vero dari quasdam potentias simul activas et passivas, de quibus procedit doctrina data quando sunt complete activae suorum actuum. Unde secundo dicitur Aristotelem, lib. V Metaph., idem magis declarasse, cum dixit *potentiam activam esse mutationis principium in alio aut quatenus aliud est*. Et hoc modo dici potest voluntas, quatenus afficit suum actum, esse principium agendi in se, non quatenus activa est, sed quatenus est in potentia. Verius autem existimo Aristotelem esse locutum de transmutationibus physicis, quae per actionem transeuntem fiunt, ut latius infra ostendam tractando de potentia prout est species qualitatis. Et de eadem mutatione loquitur Arist., in I de Gener.; disputat enim ibi de illa mutatione quae ad generationem et corruptionem tendit. Similiter loquitur in I Metaph., ubi in universali loquitur quomodo est evidens materiam et efficiens in generationibus et mutationibus physicis non concurrere in eamdem causam. Ad primam rationem respondetur relationem realem non esse inter agens et passum, sed inter agens et effectum; et hoc modo. etiamsi aliqua potentia agat in seipsam, agit tamen effectum distinctum a se, inter quem et ipsam potest esse relatio realis. Ad primam confirmationem respondetur si potentia naturaliter agat, ideo non semper agere, quia non semper habet obiectum applicatum, quo indiget non ut coefficiente, sed in alio genere causae finalis vel formalis extrinsecae; sicut ignis non potest agere sine combustibili, non quia illo indigeat ut coefficiente, sed ut materia. Si autem causa sit libera, etiamsi reliqua omnia sint applicata, potest non agere solum ex naturali perfectione sua. Ad secundam confirmationem respondetur identitatem esse summam vel eminentiorem propinquitatem, si alioqui non desit virtus ad agendum et capacitas ad recipiendum.

## *SECTIO VIII*

## *UTRUM CAUSA EFFICIENS DEBEAT ESSE SIMUL CONIUNCTA VEL PROPINQUA PASSO UT AGERE POSSIT*

1. Haec quaestio tractatur ex professo ab Aristot., de motibus physicis, in VII Phys., c. 2; tamen quaestio universalior est ac proprie metaphysica, complectitur enim omnem efficientem causam. Unde a theologis tractari solet tam de Deo, I, q. 8, et In I, dist. 37, quam de angelis, I, q. 52, et In I, dist. 37, et In II, dist. 2; nos autem hic agimus de causis finitis, nam de Deo postea dicemus. Tractatur autem quaestio de actione transeunte qua una res agit in aliam; nam in immanenti, et quandocumque res agit in seipsam per se primo, id est, secundum eamdem partem, clarum est non posse agens a patiente distare; quando vero agit unum suppositum in aliud, vel idem suppositum per unam partem in aliam, possunt esse vel immediate propinqua, vel inter ea interponi corpus aliquod, aut pars corporis vel spatium aliquod. Et non est dubium inter philosophos quin possit causa efficiens agere in rem distantem per propinquam; sed difficultas est quando proxime et immediate agit causa per virtutem quam in se habet et non per aliam quam diffundit, an oporteat immediate contingere sua quantitate vel praesentia eam rem in quam agit vel possit immediate in eam agere, etiamsi spatio distet. Cum qua difficultate coniuncta est alia, nimirum, quando causa agit per rem propinquam indistantem, quomodo per propinquam attingat distantem.

### *Prior sententia refertur et fundatur*

2. Sunt ergo in hac re duae celebres sententiae. Prima est posse efficientem causam agere in passum distans, atque ita non requiri immediatam propinquitatem, sed solum intra

certam sphaeram activitatis; non est enim dubium quin virtus finita certum terminum habet in spatio vel distantia quam potest attingere, quia, ut experientia constat, fortius agit res in propinquum quam in distans. Maior ergo virtus requiritur ad agendum in rem distantem; cum ergo virtus finita sit, habet etiam in hoc limitatam sphaeram, in quo omnes conveniunt; tamen intra illam ait haec sententia posse agens immediate efficere in passum distans. Idem tenet Avicenna, in suo lib. de Anim., sect. 4, c. 4, in eamdem sententiam citans Hippocratem. Item Alexander Aphrodisaeus, I Metaph., comm. 18; Scotus, In I, dist. 37, et ibid. Ocham, et Gabr., Bassol., Maironis, et alii scotistae. Quamquam Scot. de causis physicis fatetur nunquam agere in distans per unam formam vel qualitatem, quin per aliam aliquid agant in propinquum, quamvis necesse non sit ut per eamdem attingant propinquum et remotum, quod an sit consequenter dictum, postea videbimus.

3. *Variis experientiis fundatur praecedens sententia*.— Probatur autem haec sententia facta inductione per omnia genera actionum. Primo, in generatione substantiali, sol generat in terra varia mixta, ut mineralia, vel etiam animalia quae ex putrefactione generantur; illa autem actio immediate manare debet a forma substantiali solis, nam accidentia per medium diffusa, vel substantialem generationem non attingunt, vel ad illam non sufficiunt.

4. Secundo, in motu alterationis videntur quaedam esse quae alterant rem distantem non alterando propinquam. Primum exemplum adduci solet de imaginatione, quae efficaciam habere dicitur ad inducendam novam qualitatem alterando membrum distans vel rem aliam, ut Avicenna supra ex Hippocrate tradit. Secundum exemplum est de fascinatione oculi; nocet enim interdum oculus alterando rem distantem, ut de aliquarum feminarum oculis testis est experientia, ut Aristoteles etiam notat, sect. 20, problem. 34; Alexand., lib. II Problem., in 50; Albert., lib. XXII de Animal., c. 5; Marsil. Ficin., lib. XIII de Immortalit. animae, c. 4; et de basilisco affirmat Isidorus, lib. XII Etymolog., c. 4, olfactu suo necare serpentes, hominem aspectu interimere, et aves volantes, quamvis procul distent, laedere. Similia fere refert Plinius, lib. VIII Histor., c. 31, ubi eamdem vim tribuit catoblepae, quod necet hominem oculos eius videntem; et c. 22 similiter ait luporum visum esse noxium vocemque homini adimere ad praesens. Tertium exemplum esse potest de torpedine pisce, qui piscatorum manus a longe stupefacit; et Aristoteles, lib. IX Histor., c. 37, ait: *Torpedo piscis quos appetit afficit facultate torpendi quam in se habet, et ita illos capit, et vescitur, et ad hoc abdit se in arena et limo*. Quod est signum non agere per medium; et ibidem alias similes experientias refert. Idem refert Plinius, lib. XXXII, c. 1, ubi expresse ait *torpedinem id efficere procul et e longinquo, etiamsi hasta aut virga non attingatur*. Quartum exemplum sit de quadam herba nomine *aproxis*, cuius radix e longinquo concipit ignem, ut refert Plinius, lib. XXIV, c. 17, ubi idem refert de naphta, quodam genere bituminis, de quo idem Plinius, lib. II, c. 108. Quinto, saepe contingit ut res distans vehementius alteretur quam propinqua; ergo signum est agens sua vi immediate agere in distans; nam per qualitatem, quae remissa est in medio, non posset intensiorem qualitatem efficere in extremo. Antecedens patet multis experientiis, nam ignis vehementius calefacit aquam existentem in lebete quam fundum lebetis, et oleum superpositum in charta papyracea fervere facit multo vehementius quam papyrum, et stupam aliquantulum distantem ita calefacit intensius quam aerem medium ut interdum illam inflammet; et sol vehementius calefacit speculum aut terram quam aerem medium. Neque est mirandum quod agens interdum plus agat in distans quam in propinquum, si passi dispositio inaequalis sit. Et confirmatur hoc ipsum aliis exemplis; nam sol clarius illuminat partes aeris quas per fenestram attingit aut respicit per lineam rectam quam eas quae sunt ad latus seu ad lineam obliquam; ergo signum est non illuminare illas quae sunt e regione tantum per partes aeris intermedii, sed immediate per seipsum. Patet consequentia, quia respectu partium aeris intermedii aeque propinquae sunt et aeque applicatae aliae partes aeris, quae vel e regione solis sunt, vel tantum ad latus; si ergo illuminatio partium remotarum tantum fit mediante parte proxima, aeque illuminabuntur partes remotae quae aeque vicinae sunt propinquiori, etiamsi respectu solis diversum habeant aspectum; nam illa pars, quantum est de se, aequaliter agit versus omnem partem sibi propinquam. Similis experientia est de manu vel alia re obiecta igni aut soli per fenestram

fornacis, verbi gratia, quod vehementiorem calorem sentit directe obiecta igni quam ad latus posita, etiamsi respectu aeris medii aeque sit propinqua; ergo signum est ignem immediate attingere manum distantem, si directe opposita sit per medium non impeditum. Cuius etiam signum est quia si interponatur aliquid seu claudatur fenestra fornacis, subito cessat vehemens sensus caloris, qui proveniebat ex actione ignis, et tamen medium adhuc retinet totum calorem quem conceperat; ergo signum est quod actio proveniebat immediate ab igne, et non tantum a medio.

5. Tertio, principaliter afferuntur experientiae de motu locali, qui variis modis fit a movente corporeo (nam de incorporeo infra dicam), scilicet impulsu, tractu, vectione et volutatione. Et de impulsu quidem afferri solent experientiae proiectorum, et gravium et levium, quorum motus ad pulsionem reducuntur, ut notat D. Thom., VII Phys., c. 2. Sed non sunt alicuius momenti; nam proximum principium instrumentale illius motus non solum est propinquum, sed etiam inexistens mobili; ille autem impulsus vel generatione communicatur, de qua, an requirat propinquitatem, iam propositum est, vel imprimitur per aliquem contactum quantitativum, movens enim corporeum non potest a se immediate pellere mobile nisi illud contingendo; quid autem imprimatur per illum contactum, seu quid sit impulsus, non est hoc loco declarandum; tractatur vero ab Aristotele, lib. IV Phys., c. 8, et VIII Phys., c. ult., et III de Caelo, c. 2. Et hinc etiam constat volutationem, cum pulsionem includat, eamdem propinquitatem requirere quam pulsio requirit. De vectione autem per se notum est requirere contactum, cum id quod vehitur quasi per accidens moveatur ad motum vehentis. Solum ergo in tractione afferuntur exempla in favorem dictae sententiae. Primum est de magnete trahente ad se ferrum distans. Secundum esse potest de succino elevante paleas. Tertium fere eiusdem rationis est, quod communiter afferri solet de pisce *remora*, alias *echeneide*, qui praetereuntem navim detinet, ut refert Aristot., lib. II Histor., c. 14; Plin., lib. IX Histor., c. 25.

6. Quarto fit inductio in actionibus potentiarum animae; nam phantasia existens in cerebro movet immediate appetitum qui est in corde et appetitus movet immediate manus aut pedes. Similiter sensus externus suo actu videtur imprimere speciem imaginationi. Neque enim est verisimile aliquid agere per totum medium, ut verbi gratia. si pes calefit, speciem caloris continue ascendere usque ad caput, ubi est phantasia vel sensus communis.

7. Quinto fit eadem inductio in actione intelligentiarum, quae tantum potest esse duplex, scilicet vel localis motio, sive corporis sive alterius spiritus, vel locutio, quae tantum est ad rem aliam intellectualem. Haec igitur posterior actio ex sententia omnium potest fieri ad rem distantem, ut constat ex D. Thoma, I, q. 89, a. 7 et 8, et q. 108, a. 4, et q. de Anim., a. 18, ad 13, et non fit sine aliqua efficientia, quia per illam angelus ad quem alter loquitur, accipit facultatem intelligendi quod antea non poterat, nempe cogitationem liberam alterius; non videtur autem posse novam facultatem accipere quin aliquid novi in eo fiat. Eo vel maxime quod non solum facultatem accipit, sed etiam excitatur ad audiendum; non potest autem excitari nisi aliquid ei imprimatur. Unde D. Thomas, I, q. 107, a. 1, ad 3, sic inquit: *Sicut sensus movetur a sensibili, ita intellectus ab intelligibili; sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari mens angeli ad attendendum*. Sicut ergo signum sensibile non excitat sensum nisi imprimendo ei aliquid, ita locutio angelica non excitat audientem nisi imprimendo ei aliquid, verbi gratia, aliquam speciem intelligibilem. Unde idem D. Thomas, q. de Anima, a. 20, ad 11, agens de simili actione, qua intelligentiae efficiunt species in anima separata, inquit: *Cum huiusmodi actio non sit situalis*, *non oportet hic quaerere medium deferens situaliter, sed idem hic operatur ordo naturae*, indicans hanc actionem non requirere propinquitatem, sed subordinationem. Similibus enim verbis similique ratione dixit, in I, locutionem angeli non impediri propter distantiam. De altera vero actione intelligentiae, quae est motio localis, quod etiam fieri possit ad rem distantem, docent Durandus, Gabriel, Ocham, Scotus, et Herv., In I, dist. 37. Et videtur verisimile ex eodem fundamento, quod angelus ex se non habet situm neque agit ad modum rei corporalis, sed per intellectum et voluntatem; ergo eius efficacia non requirit situalem propinquitatem, sed virtutem voluntatis. Cum enim tantum volendo moveat, quid necesse est quod ibi substantialiter adsit, ubi movere vult?

8. *Ratio pro sententia praecedenti.*— Sexto, potest formari ratio in hunc modum; quia virtus activa creaturae aliquam habet (ut ita dicam) quantitatem perfectionis; ergo non est verisimile esse ita limitatam ut non possit per seipsam immediate agere nisi in puncto aut superficie indivisibili; ergo potest agere immediate intra aliquam distantiam quantam vel quantificabilem; ergo potest immediate attingere etiam partes distantes illius sphaerae seu spatii. Declaratur et confirmatur primo haec ratio: nam, cum ignis calefacit aquam medio aere, solum habet sibi immediate propinquam ultimam superficiem aeris sibi vicini; ergo, iuxta oppositam sententiam, in illam solam immediate per seipsum aget, immo et in illam aget immediate per solum calorem quem habet in ultima superficie sua; et per superficiem aget in partem immediatam, et per propinquiorem partem in remotiorem, quasi dividendo actionem per omnes partes proportionales propinquas et remotas; hic autem modus agendi videtur per se incredibilis et non parva habere incommoda. Primum ob rationem factam, quia irrationabile videtur omnem agendi virtutem quantumvis magnam coartare ad ipsummet spatium in quo est agens, vel ad summum ad ultimam superficiem sibi contiguam; nam virtus agendi potest esse maior et minor, et eius efficacia non solum consistit in effectu, sed etiam in modo agendi et in maiori sphaera activitatis. Item sumo superficiem aeris proximam igni et inquiro in quid agat immediate. Dicetur agere immediate in partem sibi propinquam; unde cum nulla sit adaequate propinqua secundum se totam, consequenter fatendum est non habere immediatum subiectum, vel indivisibile vel definitae magnitudinis, in quod totum immediate agat, sed tantum agere immediate in propinquum quasi confuse sumptum; hoc autem videtur inconveniens, quod scilicet, actio determinata, quae in instanti, verbi gratia, fit a calore vel lumine quod est in hac superficie, non habeat determinatum subiectum in quo per se et immediate fiat. Item, ille modus agendi quasi enumerando omnes partes proportionales, per has in illas agendo, cum illae infinitae sint, vix apparet intelligibilis, praesertim in actione, quae non successive extenditur per subiectum, sed per modum unius tota simul et in instanti fit.

9. Tandem confirmatur secundo, quia ex illo principio sequitur, per se loquendo, non habere agentia naturalia sphaeram activitatis nec terminum in illa. Patet sequela, nam si consideretur id in quod immediate ac per se possunt agere, nullam habent sphaeram, sed solam superficiem sibi proximam. Si vero consideretur id totum in quod possunt agere mediate, per propinquum attingendo remotum, nulla est certa sphaera neque ullus terminus illius actionis; nam quocumque termino signato ad quem intrinsece perveniat actio, per illum poterit ulterius progredi, quia in eo termino est aliqua virtus agendi; ergo illa virtus aliquid aget in sibi propinquum. Dico autem per se loquendo; nam ex resistentia passi fieri potest ut ad illum terminum tam debilis perveniat virtus ut proximae partis resistentiam vincere non possit, nec per se nec in virtute agentis distantissimi; sed hoc est accidentarium ob resistentiam. Quamquam etiam illud difficillimum sit ad explicandum, scilicet, quomodo qualitas recepta in medio possit vincere in virtute agentis remoti resistentiam partis sibi proximae, quam ipsa per se et sua virtute vincere non possit, si agens remotum per se immediate nihil agit in partem remotam resistentem, sed solum per virtutem receptam in parte propinquiori. Sed de hoc postea; nunc autem argumentum urget, per se loquendo, et ablata resistentia a medio. Atque ita fit ut sol possit in instanti illuminare aerem in infinitum, quod est plane falsum, quia nunc magis illuminat partem propinquam quam remotam aeris, ut in lucerna est evidens; ergo, si nimium extendatur actio, finietur tandem. Adde quod neque huius effectus ratio reddi poterit; cur enim lucerna minus illuminat partem remotam quam propinquam, si non illam sicut hanc per se immediate illuminat? Ex hoc autem capite optime redditur ratio; nam cum potentia sit finita, non aeque superat rem sibi vicinam ac distantem, et ideo maior propinquitas confert ad maiorem perfectionem actionis; at vero si tantum agit in remotum per propinquum, communicabit parti remotae totam intensionem qualitatis quam communicat propinquae, quia illa qualitas est activa suae similis, et pars remota est capax illius et est immediate propinqua parti proximae; signum ergo est non fieri illo modo actionem, sed agens per seipsum immediate attingere totam sphaeram.

*Secunda sententia refertur et declaratur*

10. Secunda sententia principalis est in omni efficienti causa esse conditionem necessariam ad agendum ut sit propinqua et indistans ab illa re in quam primo et immediate agit, ita ut si utrumque, agens scilicet et passum, quantum sit, sint contigua, et actio incipiat ab ultima superficie in qua se tangunt, atque ita contactus virtutis supponat semper contactum quantitativum; si vero agens sit spirituale, proportionali modo sit propinquum secundum praesentiam substantialem. Haec est sententia Aristotelis, VII Phys., c. 2, et I de Generat., c. 6, quam ubique D. Thomas defendit, praesertim I, q. 8, a. 1, et III cont. Gent., c. 68, quibus locis Caiet., Ferrariensis et alii thomistae; Capreolus, In I, dist. 37; et ibi Durand., q. 1. Et idem significat Richardus, a. 2, q. 1; Albert. et alii idem supponunt cum ex operatione Dei inferant praesentiam eius. Idem Albert., VII Phys., tract. I, c. 4, ubi Commentator, Aphrodisaeus et alii communiter. Favent etiam huic sententiae sancti Patres, immo et Scriptura sacra, dum significant in ipso etiam Deo colligi recte immediatam praesentiam ex immediata operatione. De quo argumento dicemus late postea, agentes de immensitate Dei. Haec vero sententia ab Aristotele non probatur ratione aliqua, sed sola inductione et experientia, quae satis est sensibus nota, quantum ex frequentibus effectibus sensibilibus esse potest. Erit autem inductio perfecta si ostenderimus nunquam accidere ut naturalis actio aliter fiat, vel saltem nullo experimento id suaderi posse; hoc autem solutione obiectionum constabit. Atque ita concluditur argumentum; nam modus agendi communis omnibus agentibus naturalibus in aliqua intrinseca et naturali necessitate fundatur; sed hic modus est per immediatum contactum et propinquitatem; ergo signum est hanc esse necessariam conditionem omni agenti naturali ut agere possit.

11. *Variae rationes necessitatis praesentiae agentis ad passum.*— Ratio autem huius necessitatis a quibusdam redditur, quia, sicut res non potest transire de loco ad locum nisi per medium, ita actio agentis non potest immediate transmitti ad rem distantem nisi prius attingat medium, et per illud quasi continue perveniat ad distans. Haec vero ratio apud me inefficax est, quia actio non transit eadem numero ad rem distantem per medium sicut idem numero corpus transit ad extremum locum per medium; unde non recte dicitur actio transire ad extremum, sed virtute agentis educi de potentia subiecti distantis; in quo, ex vi illius rationis aut similitudinis, nulla apparet repugnantia.

12. Alii rationem sumunt ex limitatione agentis finiti, quod ob defectum suae virtutis indiget praesentia passi ad agendum. Et potest haec ratio confirmari, quia si agens posset agere in distans, eadem ratione agere posset in quacumque distantia; nam si non indiget actione in medium, quid refert quod passum magis vel minus distet? Sed imprimis auctores huius sententiae, et praesertim D. Thomas, non limitat illam ad agentia finita, sed etiam in Deo hanc conditionem requirit; ergo non oritur ex limitatione virtutis. Deinde ex limitatione virtutis ad summum videtur oriri limitata sphaera. Cur autem ex quacumque limitatione virtutis inferri debet tanta limitatio ad proximum et immediatum passum, si ratio efficientis ut sic eam conditionem non requirit? Maxime, quia non omnis virtus est aeque limitata, ut superius argumentabamur. Et eadem ratione non apparet efficax illatio quae in confirmatione fit; qui enim negant illam summam propinquitatem esse necessariam simpliciter ad actionem, non negant esse utilem ut agens optimo modo agat; immo et asserunt esse necessariam ut agat tota virtute et quantum potest; et hinc putant oriri ut, caeteris paribus, naturalia agentia agant uniformiter difformiter per spatia; atque ita nihil sequitur eorum quae in illa confirmatione inferuntur. Nam sine dubio ex ipsis terminis constat maioris virtutis esse vincere rem distantem quam propinquam; et eadem proportione maioris virtutis erit vincere rem magis quam minus distantem, sicut maioris est virtutis ad distantiorem locum iacere lapidem. Unde Capreolus supra, ad octavum argumentum, ait rationem huius non esse sumendam ex aliqua imperfectione aut ordine potentiae agentis et recipientis, sed ex eo quod agens est quodammodo actus ipsius passi et passum est quodammodo in potentia ad agens; actus autem et potentia ex sua ratione postulant esse indistantes, ut nimirum inter se rationem actus et potentiae exercere possint. Quae ratio, licet ad convincendum intellectum protervum non sufficiat, tamen, supposita sufficienti rei experientia, mihi videtur propinquius attingere magisque indicare propriam causam huius necessitatis. Ut autem hanc rem amplius declaremus et sententiam Aristoteles defendamus, explicare oportet modos propinquitatis et distantiae et varios modos agendi per propinquum in distans.

*Quaestionis resolutio*

13. *Varii modi distantiae et indistantiae agentis ad passum*.— Est ergo advertendum passum posse distare ab agente, quia inter illa mediat spatium omnino vacuum, quod licet naturaliter non contingat, possent tamen ita intelligi, et oportet de illis dicere qualiter tunc in actione se haberent, quia non parum conferet ad rem explicandam. Secundo, potest passum distare ab agente, interposito aliquo spatio medio non vacuo, sed pleno tali corpore ut in illud nihil agere posset. Tertio intelligi potest quod agens aliquid agat in medium, non tamen per eamdem virtutem, ut si in aerem agat per lucem, in terram vero per formam substantialem. Quarto denique intelligi potest quod passum distans coniungatur agenti per medium in quod agens etiam operatur et per eamdem virtutem. Hoc autem ipsum intelligi potest variis modis evenire. Primo, quod agens remotum immediate solum inferat actionem in passum sibi propinquum, et per qualitatem in illud impressam fiat actio in passum remotum, ita ut habitudo per se et immediate illius actionis, ut est in passo remoto, tantum sit ad virtutem seu qualitatem impressam in partem proximam, ad ipsum vero agens non nisi remote et in quantum dat vel conservat illam virtutem. Secundo intelligi potest quod agens agat in remotum, media virtute collata parti proximae, simul et actualiter influendo cum illa in partem remotam, ita ut nec sine illa ac per illam possit attingere remotum, neque etiam sola illa, licet ibi conservata, sufficiat ad actionem quae fit in parte remota sine actuali influxu ipsius agentis. Tertio intelligi potest actionem agentis diffundi ex necessitate ad remotum per proximum, non necessitate causalitatis proximae partis passi in partem remotam, sed solum necessitate ordinis (ut ita dicam), quae necessitas oriri potest vel ex parte agentis, quod natura sua determinat sibi hunc modum agendi quasi per lineam non interruptam, vel ex parte passi, quod applicatum naturali agenti prius necessario patitur in parte propinqua quam in remota.

*Prima assertio*

14. *Vacuo interiacente nulla in distans actio*.— *Quare cuncta corpora abhorreant vacuum*.— Primo igitur dicendum est causam efficientem nihil posse agere in passum distans, si spatium vacuum interpositum sit. Haec assertio communiter recepta est, ita ut neque auctores primae sententiae illam negare videantur; nam Scotus, etiamsi admittat aliquam actionem generativam ex materia distante, dicit tamen aliquam aliam actionem debere per medium diffundi, quamvis hoc solum de agentibus naturalibus fateatur. Non potest autem haec assertio positiva (ut ita dicam) experientia probari, quia nunquam datum est huiusmodi vacuum inter corpora; potest tamen probari experientia (ut ita dicam) negativa et providentia universalis naturae, seu potius auctoris eius, qui ita res condidit et talem propensionem seu motionem eis indidit ut vacuum omnino vitent, etiamsi necesse sit propria loca deserere. Huius autem ratio potissima fuisse videtur ut quaedam corpora per alia possent suas actiones exercere et distantia corpora per intermedia, aliorum, et praesertim caelestium corporum influxum participarent. Quod non obscure significavit Aristoteles, text. 1 Meteor., dicens: *Necesse est illum* (id est, inferiorem mundum) *summis caeli conversionibus quodammodo* (id est per intermedia elementa) *proximum esse, ut omnis eius facultas inde constituatur atque regatur*. Nec satisfaciet qui dixerit naturam non horruisse vacuum et tam sollicite contiguitatem corporum procurasse ob necessitatem simpliciter, sed solum ob maiorem commoditatem et utilitatem. Tum quia tanta naturae sollicitudo maiorem indicat necessitatem, tum etiam quia si verum esset naturalia agentia posse attingere distans absque medio, saepe esset utilius ad actionem nullum habere interpositum reale medium, quia magis esset expedita sphaera minusque circa illam occuparetur virtus agentis, iuxta ea quae statim dicentur.

15. Secundo probari potest alia experientia quae, licet ex re omnino opposita sumatur, eamdem tamen radicem habere videtur, nimirum, quod si spatium interpositum inter agens et patiens aliquo corpore repleatur quod interrumpat actionem agentis, omnino impeditur actio in passum distans, etiamsi alioqui constitutam sit intra sphaeram activitatis agentis; ergo eadem ratione, si medium esset omnino vacuum, non posset actio agentis transire in passum distans, quia non minus interrumperetur actio per vacuum quam per illud

plenum. Responderi potest corpus illud interpositum non ideo impedire actionem in ulteriora corpora quia interrumpit actionem agentis, sed quia tota virtus agentis circa corpus illud occupatur (ut ita dicam), unde fit ut sphaera eius ibi terminetur. Dicunt enim sphaeram non semper esse eamdem seu eiusdem magnitudinis aut distantiae, sed iuxta capacitatem aut resistentiam medii. Fieri enim potest ut corpus pedale propter suam densitatem plus resistat quam magnum corpus rarum, et ideo in se finiat ac terminet sphaeram agentis. Sed quamvis haec responsio habere possit aliquam speciem veritatis quando corpus interpositum vere habet rationem passi, in quo superando et (ut ita dicam) penetrando occupatur virtus agentis, tamen, quando corpus interpositum est omnino incapax talis actionis, ita ut ad illud nullo modo applicetur virtus agentis secundum illam actionem, quomodo potest detinere illam aut agenti resistere ne in ulteriora corpora efficiat? Exemplum est in sole illuminante, cuius actio impeditur interposito in fenestra corpore opaco, quod est incapax lucis, et non resistit illuminationi sui positive, sed negative per incapacitatem; quomodo etiam vacuum dici potest resistere, quamvis ex diversis principiis; ergo virtus illuminativa solis non occupatur quasi conando et agendo circa illud corpus, sed solum non agit in illud, sicut etiam non agit in vacuum; ergo illud corpus non aliter impedit transitum (ut ita dicam) illius actionis quam interrumpendo continuationem et quasi lineam seu radium eius; ergo aequale impedimentum orietur ex vacuo interposito. Atque haec experientia videtur mihi valde efficax ad probandam conclusionem positam; de ratione vero eius inferius dicemus.

*Secunda assertio*

16. *Quod in medium plenum efficere non potest, non efficiet in distans passum.*— Hinc dicitur secundo: quando passum distat ab agente per interpositum reale medium, nihil potest agens efficere in distans passum, si non potest etiam agere in totum medium. Patet manifeste ex dictis. Primo, quia si medium interpositum non esset necessarium ad sustinendam et quasi deferendam actionem agentis, omnino per accidens se haberet illud medium ad actionem; esset ergo impertinens quod illud medium esset reale vel vacuum. Secundo, hoc probat experientia de corpore denso interposito, quod solum impedit ulteriorem actionis transitum quia est incapax actionis agentis. Tertio, quia ratio quam ex vacuo colligebamus solum erat quia in eo interrumpitur actio agentis, et hoc erat sufficiens impedimentum actionis; sed haec eadem interruptio intervenit quando medium proximum agenti non est capax actionis seu influentiae eius; ergo. Atque ita videmus solem non illuminare terram nisi illuminando omnia intermedia corpora; quod si aliquando interponitur luna, quam sol suo lumine penetrare non potest, actio illuminandi terram non attingit.

*Tertia assertio*

17. *Qua virtute quid agit in distans, debet etiam in medium agere.*— Dico tertio: ut agens efficiat in passum distans non satis est ut per aliam virtutem seu actionem omnino distinctam agat in medium, sed necesse est ut per eamdem seu subordinatam virtutem qua agit in distans incipiat agere in medium sibi propinquum et per totum illum diffundat actionem seu influentiam usque ad passum distans. Haec assertio est directe contra Scotum et alios; probatur tamen ex dictis, quia, ut agens agat in distans, necesse est ut prius tempore vel natura agat in propinquum et continue in totum medium; ergo necesse est ut illa continuata actio profluat aliquo modo ab una et eadem virtute agentis. Patet consequentia, quia si sunt duae virtutes et ab eis dimanant duae actiones, formaliter sunt ibi duo agentia, quamvis materialiter sit unum ratione unius suppositi vel subiecti; ergo non satis est quod per unam virtutem agat in proximum ut per aliam possit agere in distans. Probatur consequentia, quia illae actiones tantum concomitanter se habent, et una non potest dici per aliam continuari et sine interruptione fieri. Ut, verbi gratia, quamvis possit ignis agere per calorem et siccitatem, ut per calorem agat in passum distans, non satis est quod per siccitatem agat in medium propinquum, quia hoc est per accidens ad actionem caloris ut sic; necesse est ergo ut per calorem agat in propinquum, quia illud est per se necessarium ad continuationem actionis. Immo, licet possit contingere quod actio unius virtutis sit necessaria ex parte passi ut actio alterius virtutis possit ad illud pertingere, ut, verbi gratia, si necessaria esset actio et dispositio siccitatis ad actionem caloris, non satis esset quod una virtus praeageret disponendo ut altera immediate ageret in distans nihil agendo in propinquum, quia illa

dispositio est mere materialis, et est impertinens quod proveniat ab alia virtute concomitante in eodem subiecto, quia per hoc non fit actio alterius virtutis continue per totum medium; quod tamen esse necessarium ad actionem ostensum est duabus conclusionibus praecedentibus.

18. *Notabile*.— Sunt tamen duo observanda. Unum est, quando dicimus actionem debere esse ab una virtute, non esse sensum illam virtutem debere esse unam formam, vel unam entitatem, sed debere esse adaequatum principium unius actionis, etiamsi coalescat ex pluribus formis, sive aequaliter agentibus sive subordinatis. Aliud observandum est, cum dicimus actionem in propinquum et remotum debere esse quasi continuatione unam, non debere intelligi de rigorosa et physica continuatione, qualis est in illuminatione si medium sit continuum, sed satis esse si sit continuatio secundum quamdam subordinationem et causalitatem. Non enim est necesse, cum agens operatur usque ad aliquam distantiam, quod in tota illa producat qualitatem eiusdem rationis; potest enim in corpore sibi propinquo quamdam qualitatem efficere, in remotiori vero diversam; ut sol, verbi gratia, in corporibus caelestibus quae sub se habet, producit solum lumen; in aere vero usque ad terram producit cum lumine calorem; in terra autem secundum profunditatem eius non producit lumen, sed calorem tantum, et medio calore efficit alias formas. Idem considerare licet in aliis astris, quae proprias habent influentias, quas usque ad penetralia terrae diffundunt, non tamen idem agunt in omnibus corporibus intermediis, sed in unoquoque operantur, iuxta capacitatem eius, id quod proportionatum est ipsius dispositioni. Tum ergo, cum qualitates seu termini producti in diversis corporibus sint distincti, non potest efficientia diffundi per modum unius continuae actionis; necesse est tamen ut per qualitatem in vicino corpore productam producat aliam in remoto, et per illam similiter in remotiori, et hoc modo dicitur continuari actio per subordinationem et causalitatem. Cum enim necesse sit actionem continue fieri per modum unius, ut in assertionibus ostensum est, et non sit necessaria continuatio in eadem specie actionis vel qualitatis, necesse est ut sit per dimanationem unius ab alia; alioqui nullam connexionem habebit actio quae fit in distans cum actione quae fit in propinquum, sed omnino per accidens se ambae hae actiones habebunt; quod fieri non posse probat ratio facta in tertia assertione.

*Quarta assertio*

19. *Agens aliquod in extensum spatium et omnes partes eius potest agere immediate*.— Dico quarto: quamvis necesse sit ut causa efficiens sit propinqua et indistans a passo in quod primum agit, non est tamen certum quod semper agat per propinquum in distans tamquam per instrumentum seu virtutem agendi, sed probabile est interdum agere in totum aliquod passum immediate per suam propriam virtutem; et similiter, quando agit per propinquum ut per instrumentum in distans, non est necesse ut agat per illud tamquam per instrumentum separatum in causando, sed tamquam per coniunctum, ita ut simul cum virtute per medium diffusa influat immediate ipsum agens unica et eadem actione. Prima pars est ipsa conclusio Aristotelis et communis sententia, quam defendimus, et praeter eius inductionem probatur manifeste ex praecedentibus assertionibus et probationibus earum, quibus ostensum est non posse agens diffundere actionem suam usque ad rem distantem nisi per modum unius actionis non interruptae; ergo necesse est ut inchoetur actio a passo omnino vicino et indistante, alioqui a principio inchoaretur interrupta. Atque hoc non parum confirmant aliquae experientiae quibus videmus agens per se tantum intendere actionem in remotum, et nihilominus non exercere illam nisi per medium, quamvis illa actio, prout fit in medio, sit prorsus inutilis, nisi ad hoc saltem deserviat ut per illam deferatur actio in passum distans in quo agens habeat effectum per se intentum; verbi gratia, obiectum visibile non diffundit species ad oculum nisi per medium. Cuius rei nonnulla sunt evidentia signa: unum est de speculo in quo fit reflexio specierum, quae etiam fit in aqua; non posset autem fieri nisi usque ad illa corpora multiplicarentur species. Aliud est quod iuxta dispositionem medii vel perturbantur vel commode deferuntur species. Item, est illud supra tactum quod, quacumque ratione aliqua pars medii sit incapax specierum, impeditur actio ne ad oculum perveniat. Haec autem actio specierum per se et ex intentione naturae tota ordinatur ad

oculum, quia in illo solo possunt species habere effectum ad quem institutae sunt; esset ergo inutilis talis actio specierum in medio nisi esset necessaria ut per illam posset actio pervenire ad oculum distantem; ergo signum est propter hanc necessitatem talem fieri actionem. Idemque indicium ferendum est de omni simili actione, etiamsi tam certis experimentis non innotescat.

20. *Illatio ex omnibus dictis*.— Ex his ergo omnibus colligo naturalem modum agendi causae efficientis esse quasi per continuatam lineam suae actionis a proximo in distans. Atque haec deberet esse ratio sufficiens conclusionis, suppositis experientiis adductis, etiamsi alia ratio deesset, quia nimirum haec causa determinat sibi ex natura sua talem agendi modum. Saepe enim ita iudicamus de naturis rerum ex his quae experimur, etiamsi ulteriorem rationem illius naturalis conditionis reddere non valeamus. Ut, verbi gratia, obiectum visus solum multiplicat species per lineam rectam, obiectum autem auditus etiam per obliquam, et per quoscumque poros ingreditur, ut experientia constat, ex qua recte colligimus hunc esse naturalem modum agendi talium obiectorum; cuius sufficiens ratio est, quia talis proprietas consequitur naturam utriusque sensus. Conamur tamen huius naturae aliquam rationem investigare dum dicimus sonum esse qualitatem quamdam consequentem motum et imitantem naturam eius, et ideo per quascumque vias ingredi posse, colorem vero magis quieto et subtiliori modo agere, et ideo solum via recta species diffundere. Sic ergo in praesenti, si velimus rationem aliquam vel coniecturam illius naturalis conditionis agentium investigare, certe non est contemnenda illa quae a Capreolo tacta est; nam omnis actus requirit coniunctionem cum potentia ut suam causalitatem in illam exerceat; sicut ergo in actu formali requiritur intima unio, ita actus efficiens requirit saltem indistantiam, non ob imperfectionem, sed potius ob perfectionem quam includit ratio actus seu actuatio. Vel si hoc referendum est in aliquam imperfectionem, illa sumenda est ex parte effectus, qui, cum sit dependens a sua causa, postulat coniunctionem et indistantiam ab illa ut ab ea manare possit, sicut rivulus requirit coniunctionem cum fonte ut ab ea manet. In quo etiam potest latitudo quaedam considerari iuxta varias causarum perfectiones; nam causae et effectus corporales non possunt secundum se tota esse sibi immediate praesentia vel indistantia, et ideo appropinquantur saltem secundum extrema. Res vero spirituales creatae secundum se totae coniunguntur seu praesentes sunt effectui aut passo, quamvis non semper necesse sit esse intime praesentes toti passo et omnibus partibus eius; possunt enim adesse uni parti et per illam agere in totum, quomodo intelligentia movens caelum existimatur esse in Oriente. At vero Deus ubicumque agit totus et in toto adest, non solum ex immensitate, sed etiam ex perfectione agendi, ut infra suo loco videbimus. Dixi autem hunc modum agendi inchoando actionem a passo indistanti esse connaturale efficienti, quia nunc non disputamus an Deus supernaturaliter possit hunc modum agendi immutare. Credimus autem id non repugnare divinis instrumentis, etiamsi nulli agenti creato possit esse connaturale; de qua re dixi in I tomo III partis, disp. 31, sect. 7.

21. Atque hinc ulterius intelligi potest ex necessaria propinquitate inter passum et agens non statim inferri necessarium etiam esse ut agens per propinquam partem medii agat in remotam tamquam per instrumentum; satis enim erit si agat per illam ut per medium necessarium ad continuationem actionis, seu ut actio sine interruptione fiat, quia neque experientiae neque rationes hactenus adductae plus probant. Quocirca, quando actio per medium variatur in proximo passo et remoto secundum varias qualitates et terminos actionis, tunc certe necessarium videtur ut virtus diffusa in medio propinquo sit instrumentum ad agendum in remotum, ut nuper dicebamus, quia alias nulla esset continuatio nec subordinatio per se inter illas actiones. At vero, quando actio est tota eiusdem rationis in parte proxima et remota medii, non videtur per se necessarium, saltem ex vi propinquitatis necessariae inter passum et agens, quod pars propinqua sit instrumentum ad agendum in remota; quia illa actio per se habet suam continuitatem et integritatem, quae ex naturali modo operandi talis causae necessaria est, ut ostendimus. Dixi quantum est ex vi propinquitatis necessariae; nam si qualitas diffusa per medium sit activa sui similis, ex natura rei sequitur ut existens in parte propinqua possit iuvare ad agendum in remotam sive per modum instrumenti sive per modum partialis agentis; hoc tamen potest esse quasi per accidens et solum concomitans ad actionem primi agentis.

22. Quapropter, si contingeret qualitatem diffusam per medium non esse activam sui similis, tunc non oporteret partem proximam esse instrumentum, sed tantum medium ad actionem. An vero ita aliquando eveniat, mihi non est certum; non video tamen repugnantiam ex vi eius conditiones necessariae ad agendum quam nunc tractamus, scilicet, propinquitatis. Possetque esse exemplum in obiecto visus, nam videtur ita multiplicare species per medium usque ad sensum, ut species recepta in medio diaphano non sit effectiva sui similis; quod unde probari videtur, quia ultra certam distantiam obiectum non potest speciem sui efficere, quod non accideret si species in medio recepta efficeret sibi similem. Quod argumentum in fundamentis primae sententiae tactum est et in responsionibus videbimus quam sit efficax. Aliud exemplum esse potest de impetu qui imprimitur lapidi proiecto; nam contactus proiicientis tantum est in una parte lapidis, et tamen impetus non recipitur in sola illa parte, sed in toto corpore proiecto; neque etiam pars impetus impressa parti efficit aliam similem in parte vicina, tum quia impulsus non est effectivus alterius impulsus, sed motus localis tantum, sicut gravitas non est effectiva gravitatis, sed localis motus; tum etiam quia impulsus non imprimitur nisi per contactum fortem; una autem pars non potest hoc modo contingere aliam sibi continuam; videtur ergo verisimile impetum imprimi toti mobili et omnibus partibus eius immediate a proiiciente, medio contacto in sola una parte eius. Quidquid vero sit de specialibus exemplis, tamen, in communi loquendo, ad salvandum illud axioma de necessaria propinquitate inter agens et primum passum, non cogimur dicere esse necessariam efficientiam unius partis passi in aliam. An vero aliquae experientiae vel rationes satis ostendant eam efficientiam non semper intercedere aut non esse per se necessariam, videbimus tractando argumenta primae sententiae.

23. *Medii partes propinquiores agenti non agunt in remotas sine illius ope*.— Denique hinc etiam ex parte pendet ultima pars assertionis; nam etiamsi partes medii proximae agunt in remotas, videtur experimento probari non agere sola virtute in se recepta, neque omnino destitui actuali influxu primi agentis, alioqui non tam esset vehemens actio eiusdem medii in quibusdam partibus et tam remissa in aliis aeque sibi propinquis, inaequaliter vero applicatis respectu primi agentis, quod in solutionibus argumentorum pressius examinandum est. Nunc vero solum dicimus ex hac propinquitate et conditione necessaria ad agendum quam nunc tractamus non sequi agens tantum agere in partem distantem per virtutem receptam in parte proxima ut per instrumentum quasi separatum in causando, id est, per se solum agens absque actuali influxu principalis agentis: tum quia neque id est necessarium ut passum sit absolute propinquum agenti, a quo emanet actio continue et sine interruptione; tum etiam quia tunc ex ipso agente et virtute recepta in medio quasi componitur unum integrum agens quod contingit alteram partem, et ideo potest in illam agere per totam suam virtutem. Quod declaro hoc simili, nam quando ignis calefacit aerem sibi propinquum non agit in illum per solum calorem quem habet in ultima superficie qua contingit aerem nec per solam aliquam vicinam partem, etiamsi fingatur in quacumque quantitate, quae non nisi mere gratis determinari potest; agit ergo immediate per totum calorem quem in se habet et in omnibus suis partibus (suppono enim omnes esse intra sphaeram activitatis), et tamen non omnes partes ignis agentis sunt immediate propinquae aeri patienti; at vero, quia ex omnibus coalescit unum agens, quod per suum terminum contiguum est aeri patienti, id satis est ut omnes illae partes per modum unius integri agentis immediate influant in passum. Idemque esset si duo ignes, inter se discontinui, eidem parti passi applicati essent, ita ut ab utroque simul per modum unius integri agentis una actio manet; ergo similiter intelligi potest quod agens coniunctum primae parti passi, iam affectae sua qualitate, per modum unius agat et influat in ulterius passum, sive concurrant ut duo agentia partialia sive ut principale et instrumentale agens. Sed haec omnia in responsionibus ad primam sententiam magis elucidabuntur.

*Argumentorum solutiones*

24. *Quod sit agens praesens generationi substantiali*.— Ad primam ergo experientiam de substantiali generatione communis responsio est accidentia quae proxime adsunt efficere substantialem generationem in virtute formae substantialis, quamvis illa

distet. Quae responsio habet difficultatem tactam sect. 3, quia, licet accidentia possint esse instrumenta ad efficiendam substantiam, non tamen possunt esse sufficientia principia, si sint separata quoad causalitatem. Et ideo, si forma substantialis longe distans nullo modo potest cum accidentali virtute actu influere ad generationem substantialem, non potest per sola accidentia esse sufficiens principium talis generationis. Quapropter probabiliter dici potest illam virtutem instrumentalem diffusam a caelo usque ad locum terrae in quo fit generatio substantialis non agere ut virtutem separatam, sed ut coniunctam in causalitate, et formam caeli actu influere cum illa, si alioqui effectus non superat in perfectione ipsam formam caeli. Nec inde fit caelum agere immediate in distans, quia non agit nisi ut coniunctum virtuti suae per medium diffusae usque ad passum distans. Dices: forma caeli et virtus accidentalis eiusdem caeli sunt diversae virtutes agendi; sed tota alteratio praecedens fiebat a caelo media virtute accidentali tantum; ergo illa non sufficit ut forma caeli possit postea influere media sua forma substantiali ad generationem substantialem alterius. Respondeo formam et virtutem accidentalem ipsius caeli non esse duas virtutes solum concomitanter et quasi per accidens coniunctas, sed esse subordinatas ut principale et instrumentale principium; et ideo, quamvis forma substantialis attingat generationem quae fit in distanti loco, non agit formaliter ac proprie in distans, quia media virtute sua coniungitur. Eritque hoc facilius et clarius si quis teneat formam substantialem caeli non solum concurrere per se ut principium principale ad eductionem formae substantialis, sed etiam ad praeviam alterationem, quod supra diximus esse probabile. Quod si fortasse alicui hoc non placet, necessario dicendum est caelum solum concurrere instrumentaliter ad has generationes per virtutem accidentalem diffusam per medium, iuvari autem ad has generationes perficiendas ab aliquo superiori agente.

*De alteratione corporis per imaginationem*

25. Ad secundum de alteratione negatur assumptum, nimirum aliquam causam alterare rem distantem non alterando propinquam. Et ad primum exemplum de imaginatione respondetur aut esse sermonem de corpore ipsius animalis, cuius est phantasia, vel alterius; loquendo de alieno corpore, nego alterius phantasiam habere vim alterandi illud; neque hactenus ullum probabile experimentum allatum est quod id ostendat; neque ex vi rationis est verisimile, quia actus imaginationis est immanens et non est unde habeat virtutem ad naturaliter alterandum alienum corpus. Si vero sit sermo de proprio corpore ipsius animalis quod imaginatione operatur, dicendum est imaginationem non movere corpus nisi mediante appetitu sensitivo, ad cuius motum excitantur humores et spiritus vitales, quibus mediantibus alteratur corpus; motio autem appetitus per imaginationem non est alteratio, sed vitalis quaedam affectio, de qua inferius dicam. Appetitus autem, cum sit in corde, quod est principium motus animalis et spirituum vitalium, facile poterit huiusmodi motum vel alterationem excitare, nihil agendo immediate in distans, sed mediantibus partibus propinquis; quamvis etiam in illa motione intercedat specialis ratio, eo quod fiat per naturalem sympathiam potentiarum in eadem anima radicatarum, ut infra dicetur et latius

*De fascinatione*

26. Ad secundum exemplum, sunt qui negent illam vim fascinationis. Sed non est cur experientiam a philosophis et medicis comprobatam, et fere communi sensu receptam, negemus. Fatemur ergo fascinationem naturaliter accidere; modum autem eius declarat D. Thomas, I, q. 117, a. 3, ad 2, et III cont. Gent., c. 103. Et imprimis dicendum est fascinationem non fieri ipso actu videndi tamquam principio quo fit alteratio in aliud, quia actus immanens, ut supra dicebamus de actu imaginationis, non est per se activus in aliquem. Deinde dicendum est alterationem illam fieri ab aliqua qualitate venenifera existente in oculo aut in interna corporis dispositione, complexione aut humoribus, quae communicatur spiritibus vitalibus, qui imaginatione et attentione animi commoventur et ad oculos perveniunt. Rursus hinc fit ut mediis illis spiritibus aer proximus inficiatur et usque ad certam distantiam alteratio perveniat, et sic noceat alteri, quamvis aliquantulum distet. Et fortasse interdum fit ut ipsimet spiritus infecti usque ad illam personam in quam intuitus directe fingitur, emittantur, et ita facilius et vehementius noceant; et Aristoteles supra significat interdum fieri fascinationem ipso flatu corrupto et usque ad aliam personam

transmisso. His ergo modis potest naturaliter fieri fascinatio absque immediata actione in distans. Omitto (quod D. Thomas supra advertit) interdum accidere huiusmodi nocumentum ex malitia daemonum, qui ex pacto occulto cooperantur ad huiusmodi damnum inferendum. Advertit etiam ibi D. Thomas hanc alterationem facilius accidere in infantibus et pueris, quia ob tenerum corpus quamlibet externam impressionem facilius patiuntur. Plura de huiusmodi actione legi possunt in. Plinio, lib. VII, c. 2, et lib. XXXIII, c. 10; Abulens., paradox. 4, c. 16; Richard., Quodl. III, q. 12. Idem, servata proportione, dicendum est de quocumque nocumento quod a venenatis animalibus infertur, vel aspectu vel olfactu. Et idem est de tertio exemplo torpedinis, de qua expresse Plinius ait quod odore et quadam aura sui corporis afficit membra; non ergo immediate agit in distans, sed vel alterando medium vel etiam noxium aliquem vaporem spirando. Nec refert quod sub arena aut limo se abscondere dicatur, quia non est necesse ut intelligamus omnino delitescere sub terra, ita ut vel caput vel os non relinquat apertum ad nocendum.

*Possitne agens intensius agere in distans quam in propinquum*

27. *Fundum lebetis cur frigidius quam ferventi aqua superposita*.— In quarto et quinto exemplo declarandum est an et qua ratione contingat agens vehementius agere in rem distantem quam in medium propinquum, et an tunc illa vehementior alteratio fiat immediate in distans sine cooperatione medii. Et quidem Aristoteles, sect. 24 Probl., q. 5 et 8, advertit, cum aqua in vase calefit, in initio calefactionis, dum aqua adhuc est frigida, fundum vasis sentiri calidius; postea vero iam aqua, fervescente ita ut manum urat, fundum vasis esse magis temperatum, ita ut manu sustineri possit. Rationem vero assignat, quia in principio actionis, dum aqua frigida est, totus calor concluditur in fundo vasis neque ascendere permittitur; at vero quando aqua iam est calidior, quasi permittitur respirare calor et ascendere, et inde fit ut fundum lebetis temperetur. Ob quam causam dicit ibidem balneas calidiores esse hyeme quam aestate. Atque inde consequenter fit ut, actione procedente et aqua nimium calefacta, et calefactione rarefacta, calidiores partes sursum ascendant et crassiores ac frigidiores descendant deorsum et inhaereant fundo vasis et illud temperent, et ideo minus calidum censeatur. Hic autem nomine caloris non est intelligenda sola qualitas aut accidens caloris; hic enim neque ascendere aut descendere potest, neque detineri ne ascendat nisi ratione subiecti; sed intelligendae sunt exhalationes seu vapores calidi qui actione ignis excitantur. Neque enim potest ille ascensus vel descensus metaphorice tantum declarari, id est, quod dicatur calor impediri ne ascendat solum quia passum resistit ne calefactio ulterius progrediatur versus superiorem partem. Nam hoc sensu nullius momenti esset ratio, nimirum, fundum lebetis in principio esse calidius quia tunc calor impeditur ne ultra ascendat; nam quod actio ultra progrediatur per se nil impedit quominus illa pars inferior aeque calida maneat, ut per se notum est. Oportet ergo intelligi proprie de aliquibus exhalationibus calidis, quae dum detinentur ratione proximi corporis, nimirum frigidi et densi, faciunt ut calor illius partis et maior sit et vehementius sentiatur; dum vero, calefacto proximo corpore, et consequenter rarefacto, ascendere permittuntur, minor calor in illa infima parte sentitur; maxime quod in poris, ubi illae exhalationes erant, loco illarum succedunt frigidiores partes aquae, quae, ut sunt graviores, ita naturaliter magis descendunt, et ex eo capite magis etiam temperatur ille calor.

28. Ex hac vero ratione Philosophi sic exposita facile intelligitur ex hac experientia non haberi agens intensius agere in propinquum quam in distans, nisi transmittendo aliquod agens proportionatum quod illam intensionem proxime efficiat. Nam in dicto exemplo, dum in principio actionis fundum vasis nimium calescit, id provenit ex igne vicino et ex ignitis vel calidis exhalationibus in ipsismet poris fundi inclusis; dum vero, procedente actione, superiores partes aquae calidiores videntur, id provenit non solum ab igne remoto, quamvis eius actio multum iuvet, sed etiam ex vaporibus calidioribus ascendentibus et penetrantibus aquam ipsam, et ob hanc causam vehementius illam calefacit. Accedit etiam quod aqua ipsa, dum incipit prope fundum vasis magis calefieri, statim ascendit levior effecta; descendit autem quae superius erat gravior et frigidior, et ita fit ut pars distantior aquae sit calidior, non quia, ita distans, magis sit calefacta, sed quia prius fuit propinqua, et ibi magis calefacta.

Nunquam vero illa pars aquae quae proxime insidet fundo vasis, vehementius calefit quam ipsummet vas seu fundum eius, per quod actio transmittitur, nisi fortasse in fine actionis, quando iam omnino superatur aqua, ita ut contingat totam exhalari et corrumpi. Quod inde provenit, quod ratione suae humiditatis facilius in aerem vel in aliquod mixtum imperfectum commutatur. Item, quia cum sit minus densa quam vas, facilius eam penetrant vapores seu exhalationes calidae ascendentes. Iuvat etiam si quis est aer circumfusus. Atque ita semper tota actio et intensio eius fit per aliquod medium.

29. *Papyrus cur minus calida quam oleum superimpositum.— Stupa cur inflammatur, aere inter ipsam et ignem iacente non inflammato*.— Ad eumdem modum dicendum est ad similes experientias supra adductas, nimirum de oleo quod vehementius videtur calere quam papyrus qua mediante calefit. Nam oleum statim ac incipit calefieri facile etiam rarefit et penetratur a vaporibus ascendentibus, et ipsum etiam, subtilius et levius effectum, statim ascendit; crassiores autem et humidiores partes descendunt; atque ita idem accidit in hoc exemplo quod in superiori. De stupa autem, quod inflammetur per interpositum aerem, ipso aere non inflammato, non ita est manifestum experientia; fortasse enim aer inflammatur prius, licet non ita sensu percipiatur sicut in stupa, propter huius densitatem. Atque idem dici potest ad exemplum de radice herbae *aproxis* et de bitumine naphtae.

30. *Obiectioni respondetur*.— Posset vero aliter responderi admittendo quod in argumento assumitur: inflammari aliquando materiam remotam non inflammata proxima, et dicendo id provenire ex dispositione materiae absque intensiori actione ignis in remotum quam in propinquum. Quod declarabitur facile si supponamus non esse necessarium ut in aliqua materia summus calor antecedat ut inflammetur, sed sufficere ut antecedat calor intensus in eo gradu cum quo et forma stupae, verbi gratia, conservari non possit, et si illi sit adiuncta sufficiens siccitas, satis disponat ad introductionem formae ignis. Sic ergo fieri potest ut aer medius sit calidus ut septem et non inflammetur ex defectu siccitatis, stupa vero statim ac pervenit ad illum gradum inflammetur; atque ita actio ignis calefacientis nunquam fuit intensior in materia remota quam in propinqua, sed habuit alium effectum propter aliam passi dispositionem. Dices: in illo instanti in quo inflammatur illa materia, iam est calida ut octo. Respondeo: si ita est (non est enim certum de primo instanti), tamen id non provenit ex sola actione ignis distantis, sed est per naturalem resultantiam a forma iam concepta. Quae resultantia, si non superest aliqua resistentia in materia, in momento fit; atque ita fieri dicendum est si ponamus omnia accidentia in corruptione perire. Si tamen manere potest aliquis gradus contrariae qualitatis, interveniet aliqua successio, brevissima tamen et imperceptibilis, quia resistentia est minima et activitas magna. Sed quid de actione ipsius formae substantialis, quae fit in distanti materia, non in medio? Communiter dicitur fieri per naturalem resultantiam, supposita sufficienti dispositione, vel fieri a dispositionibus accidentalibus ibi existentibus, in virtute substantiae. Nobis autem respondendum est, iuxta primam assertionem, vel formam ignis simul cum virtute sua posse illuc attingere et simul influere ad eductionem illius formae, vel certe, si hanc vim non habet substantialis forma, necessarium esse ut per aliquam superiorem causam ille concursus suppleatur, sicut quando contingit rem aliquam per motum ita calefieri ut inflammetur, introductio illius formae alicui causae universali tribuitur.

31. *Alius modus explicandi adducta experimenta*.— Alius modus respondendi ad has experientias esse potest admittendo posse agens intensius facere aliquam qualitatem in passum distans, quam in propinquum, non tamen immediate agendo in distans, sed per medium. Hic tamen modus actionis dupliciter concipi potest. Primo, ut medium non deserviat tamquam coefficiens instrumentale aut partiale ad agendum in remotum, saltem quoad illum gradum maioris intensionis qui fit in parte remota. Hic tamen dicendi modus non est satis consequens ad opinionem quam defendimus; nam plane sequitur illam actionem, quatenus est intensio in tali gradu, fieri ab agente remoto immediate in passum distans absque ulla actione circa medium vel per medium; quia actio remissa quae fit in medio propinquo per se non confert nec continuatur cum actione in distans, nisi ad summum usque ad similem gradum; ergo illa intensio maior quae fit in distans, est actio immediata in illud sine medio. Sicut, si totum medium et passum distans prius essent calida ut quatuor

absque actione ignis, et deinde ignis applicatus immediate intenderet illum calorem in distante passo et non in medio, sine dubio illa actio esset immediate in distans; ergo idem erit etiamsi calor ut quatuor factus sit ab eodem igne. Alio ergo modo intelligi potest quod agens per virtutem impressam in medio efficiat intensiorem qualitatem in passo remoto quam in ipso medio, propter maiorem capacitatem seu dispositionem et minorem resistentiam. Haec autem virtus esse potest aliquando qualitas diversae rationis ab alia quae intenditur, et tunc non est res difficilis; ut in exemplo supra posito de speculo et aere calefactis a sole, quia illa calefactio fit medio lumine, accidere potest ut, mediante lumine aeris ut virtute agendi, vehementius sol calefaciat speculum distans vel aliam rem similem quam aerem propinquum, ob maiorem passi capacitatem et dispositionem; et in hoc non video repugnantiam. Sicut enim potest causa agens per virtutem diffusam aliquem effectum habere in remotum quem non habet in propinquum, ut omnes concedunt, et signatim D. Thomas, In II, dist. 15, q. 1, a. 2, ad 6, et Comment., IX Phys., et lib. II de Caelo, com. 34, ita maiori ratione potest intensius alterare partem remotam quam propinquam. Alio denique modo intelligi potest hoc fieri per qualitatem eiusdem rationis, ut, verbi gratia, quod sol, per aerem remisse illuminatum, intensius illuminet speculum distans, ita ut lumen aeris medii, etiamsi sit in se remissius, ut coniunctam primo agenti concurrat sive instrumentaliter sive partialiter ad lumen in speculo efficiendum, etiam quoad maiorem gradum intensionis. Et hic modus est difficilior creditu, quia supponit qualitatem remissam, saltem ut coniunctam priori agenti, posse concurrere ad intensionem qualitatis eiusdem speciei in eo gradu in quo est dissimilis et ab illa exceditur; quod an possit accidere, examinabimus sectione sequenti, ubi plura dicemus de illo exemplo speculi de eiusque actione reflexa.

*Cur agens per lineam rectam efficacius operetur*

32. Ad experientias alias quae in confirmationem illius secundi argumenti afferuntur, respondeo satis probabiliter persuadere secundam partem ultimae assertionis. Nec mihi occurrit aliqua alia probabilis responsio aut evasio; non enim video cur praesentia solis per lineam rectam respectu huius partis aeris remoti conducat ad maiorem illuminationem eius, nisi quia ipse sol cum aere sibi propinquiori simul in illam influit, in aliam vero partem aeris non ita e regione propositam, sed ad latus, verbi gratia, fenestrae, non potest ita influere, etiamsi respectu ipsius medii illa pars sit aeque propinqua. Dicet fortasse aliquis lumen receptum in medio agere in virtute solis in alteram partem aeris per lineam rectam obiectam soli, in aliam vero cadentem ad latus solum agere virtute propria, et ideo magis illuminare illam partem quam hanc. Sed hoc et mere gratis ac voluntarie dictum est et intelligi non potest quae res subsit illis vocibus neque in quo consistat illud discrimen, si sol ipse in neutram illarum partium per sese actualiter influit. Nam, hoc supposito, quid est agere in virtute alterius nisi agere ut virtutem diffusam ab illo et vicem eius habentem? Sed illa virtus recepta in medio est una et eadem; ergo respectu cuiuscumque partis medii agit ut virtus diffusa a sole et vice illius; ergo aeque agit in virtute solis. Neque explicari potest quid conferat illa situalis positio (ut ita dicam) vel praesentia solis ut ob eam causam dicatur agere in virtute solis in unam partem et non in aliam, si ratione illius applicationis sol ipse per se non magis influit.

33. Quod tandem sic confirmo ac declaro; nam quando accidens agit in virtute alterius absque actuali influxu eius, si tale accidens conservetur sine alio in cuius virtute agere dicitur, eamdem potest habere actionem. Hoc patet in gravitate vel impetu movente in virtute generantis vel imprimentis, et idem est de calore aquae, si calor dicatur calefacere in virtute ignis; immo et qui aiunt calorem summum efficere dicto modo formam ignis in virtute ignis sine alio actuali influxu eius, consequenter aiunt calorem separatum aeque ac coniunctam igni posse in virtute ignis efficere formam alterius ignis. Itaque in praesenti, si lumen receptum in parte aeris viciniori soli efficit dicto modo lumen in alia parte in virtute solis, ergo si illud lumen conservaretur in una parte, ablato sole de medio, eodem modo illuminaret eamdem partem quam nunc illuminat. Consequens autem est plane falsum, tum quia alias etiam nunc aeque illuminaret partem aeris sibi vicinam non obiectam soli, quia non magis neque ita abest nunc sol ab illa parte quam abesset ab alia, si omnino tolleretur, tum

etiam quia in igne et calore experimento constat oppositum, ut in eadem confirmatione quam tractamus propositum est. Igitur necessario dicendum videtur solem actu influere cum parte proxima medii ad illuminandam aliam directe sibi obiectam, non vero aeque posse influere in aliam partem a latere existentem, etiam si ipsi aeri medio aeque propinqua sit, et inde provenire ut illae partes non aeque illuminentur vel calefiant.

*De actione magnetis et similibus*

34. In tertio argumento de motu locali prima ac praecipua experientia est de magnete; de quo, sicut de multis aliis experimentis quae hic tractamus, multa erudite congerunt Conimbricenses, lib. VII Phys., c. 2, q. 1. Breviter tamen, quantum ad rem praesentem spectat, admittimus attractionem illam fieri effective a magnete. Alexand. enim, lib. II Quaestionum naturalium, c. 3, existimavit ferrum non trahi a magnete nisi ut a fine, ipsumque interna et innata virtute quasi naturali pondere se movere ad magnetem. Hoc tamen reiiciunt Albertus, II Metaph., tract. III, c. 6; D. Thomas, VII Phys., lect. 3, text. 10; et Galenus, lib. III de Facultatibus naturalibus, c. ultimo. Primo, quia motus naturalis a virtute intrinseca ex quacumque distantia fit, ut in terra et igne patet; ferrum autem non tendit ad magnetem ex quacumque distantia, sed ex certa ac definita; non ergo ad ipsum tendit, sed trahitur. Secundo quia ferrum non movetur ad magnetem nisi in debita proportione quantitatis existant; moles enim ferri non trahetur a parvo magnete; ergo id est propter actionem, quae non sequitur a proportione minoris inaequalitatis. Tertio, quia dicitur experientia constare, si magnes perungatur sanguine hirci aut succo alii aut cepae, non posse attrahere ferrum; ergo id est quia virtus eius attractiva inde debilitatur.

35. Addendum subinde est magnetem imprimere ferro aliquam qualitatem motivam qua illud ad se trahat. Ita docent omnes auctores; nam, sicut proiectio fit per qualitatem impressam, ita et tractio; est tamen differentia, quia impulsus imprimitur per immediatum contactum quantitativum, non vero haec qualitas attractiva; et ratio est quia institutae sunt a natura ad contrarios effectus. Nam per impulsum separatur mobile a movente quod illud tangit; per tractionem vero trahitur mobile versus motorem vel etiam donec contingat illum. Praeterea, talis est haec attractio magnetis ut non solum per se ferrum ad se trahat, sed etiam ipsi ferro participationem eius virtutis communicet; nam ferrum attractum aliud ferrum ad se trahit et illud attrahit aliud, ut quasi catena ex eis conficiatur, quemadmodum Augustinus refert, XXI de Civit., c. 4, et nos etiam aliquando experti sumus; hoc ergo est signum apertum imprimere magnetem ferro qualitatem quae et vim habet movendi ipsum ferrum et efficiendi aliam similem qua ferrum ad se trahat.

36. Ultimo addendum est, ut argumento proposito respondeamus, magnetem non imprimere eam qualitatem ferro nisi per medium, alterando, scilicet, illud usque ad ferrum; quamvis enim haec alteratio medii sensibili experimento non percipiatur, tamen, cum facile fieri possit, ex aliis experimentis et rationibus colligimus in illa etiam alteratione servari naturalem modum agendi efficientis causae. Neque enim obstat quod medium ipsum non trahatur ad magnetem; quia necesse non est ut qualitas diffusa per medium eumdem effectum habeat in medio quem habet in distanti passo; sicut in superioribus dictum est ob diversam passi dispositionem accidere ut virtus diffusa per medium efficiat in distans corpus novam qualitatem aut qualitatis intensionem, quam non facit in ipsum medium. Sic ergo accidere potest in praesenti, vel ut qualitas diffusa per medium non sit eiusdem rationis cum ea quae imprimitur ipsi ferro, vel certe quod, licet sit in se eiusdem speciei, non habeat eumdem effectum trahendi in medio quem habet in ferro, propter peculiarem proportionem aut dispositionem ferri.

37. Solum potest obstare alia experientia, qua constat magnetem immutare ferrum, etiam interposito medio denso, ut experimento etiam percipitur et Augustinus supra refert dicens, posito ferro super argentum et magnete subtus, moveri ferrum ad motum magnetis, *concitatissimo cursu ac recursu, prout magnes ab aliquo agitatur, argento* (inquit) *medio nihil patiente*. Neque enim videtur verisimile posse magnetem tam densum medium totum alterare et penetrare. Sed nihilominus, cum Augustinus ait argento nihil patiente, plane intelligit de passione illa sensibili, qualis erat motio et concitatio ferri; de alteratione autem invisibili, Augustinus ibi nihil disputat. Neque est adeo difficile creditu quod magnes

penetret corpus intermedium sua alteratione, vel quia porosum est, ut est lignum, vel quia parvam habet profunditatem, quale fortasse erat argentum illud, cuius meminit Augustinus; sicut etiam influentiae caelestes penetrant corpora etiam densissima et in magna distantia, propter magnam vim agendi. Haec enim vis magnetis existimatur esse quaedam participatio caelestis proprietates, ut dicit D. Thom., q. 5 de Verit., a. 10, ad 5; q. unica de Anima, a. 1. Forte etiam contingere potest ut illa actio, licet non penetret totum corpus densum, interventu circumfusi aeris, continue perveniat usque ad ferrum. Atque ad eumdem modum iudicandum est de succino elevante paleas, et idem est de argento vivo trahente particulas auri, et de quacumque alia re simili, vel medicinali radice aut herba, quae vim habet trahendi aliquid aut etiam expellendi.

38. *Remora qui navem retardet*.— Quod vero spectat ad retentionem echeneidis, quamvis alioqui ille sit mirabilis naturae effectus, est difficillimum explicatu qua virtute possit tam parvum animal tam vehementem molem retardare; tamen in praesenti nihil infert difficultatis, nam Plinius expresse ait id facere nullo suo labore, non retinendo aut alio modo quam adhaerendo; non ergo quidquam agit in distans. Quid vero imprimat navi ad detinendam illam, tractat late Scaliger contra Cardanum, exercit. 218, et contra eum Conimbricens. supra, a. 5. Ego vero censeo rem esse occultissimam, quae necessario reducenda est in aliquam virtutem superioris rationis, quae vim habeat talem ac tantam ad resistendum impulsui navis ut ab eo debilitari non possit. An vero id fiat ab hoc animali imprimendo aliquam qualitatem navi debilitantem vim illius impetus, vel solum adhaerendo per virtutem sibi innatam, sicut homo detinet lapidem proportionatum ne cadat, vel denique an hic piscis vim talem habeat sistendi seipsum et quasi adhaerendi loco suo ut etiam ab impellente navim rapi aut dimoveri non possit, mihi incertum est. Quocumque tamen horum modo eveniat, non dubium est quin ex virtute mirabili et occulta proveniat, adiuvante fortasse speciali aliqua et connaturali influentia caelesti. Immo addit Ambrosius, lib. V Hexaem., c. 10, ad finem, imitatus Basilium, hom. VII Hexaem., *ex munere et potentia creatoris tam parvum animal tantam accepisse virtutem*.

*De actione phantasiae et similibus*

39. In quarta difficultate solvenda laborant qui existimant notitiam existentem in phantasia effective concurrere proprio influxu physico ad actum appetitus. Unde quidam utramque potentiam vel in cerebro vel in corde collocant, ut vicinae sint et inter se agere possint, cum tamen verior doctrina habeat phantasiam in cerebro et appetitum in corde esse, ut alibi latius ostendendum est. Alii nescio quas qualitates dicunt diffundi a cerebro, medio actu phantasiae, usque ad cor ut immutent appetitum. Sed hoc figmento simile est, quia illae qualitates nec sunt species obiecti aut ipsiusmet actus phantasiae: essent enim inutiles, cum appetitus non possit speciebus uti; nec possunt esse qualitates aliquae quasi deferentes ad potentiam appetitivam notitiam obiecti, quae est in phantasia; quia potentia ipsa appetitiva nunquam percipit illam notitiam; neque notitia unius potentiae potest alteri manifestari, aut formaliter aut obiective, nisi mediante alia specie aut notitia sui. Alii denique, convicti argumento, fatentur notitiam existentem in cerebro immediata actione influere per propriam efficientiam in appetitum. Neque putant id esse inconveniens, eo quod illae duae facultates in eadem anima coniungantur, quae est principium principale illius actionis; nam, sicut virtus principalis potest cooperari suae virtuti instrumentali, etiamsi usque ad locum distantem diffusa sit, ita e contrario virtus aliqua instrumentalis poterit cooperari virtuti principali, etiam in loco distanti, si usque ad illum virtus ipsa principalis diffusa sit, dummodo in illa etiam parte, ubi fit actio, sit aliud instrumentum magis proprium et proportionatum tali actioni. Quae responsio, supposito illo primo fundamento, est inter reliquas minus improbabilis, et de instrumentis divinis adhiberi solet, quod attingere possint immediate ad distantes, quia virtus principalis ibi adest. Absolute tamen (quidquid sit de miraculosis actionibus) non satisfacit, quia iam admittitur efficientia ab aliqua forma aut qualitate seu actu, quae transilit ad distans quasi per saltum absque continua actione per medium.

40. Et ideo nos facilius has angustias evademus negando notitiam concurrere active ad actum appetitus, sed tantum ut conditionem repraesentantem obiectum, qua posita,

appetitus efficit suum actum per naturalem sympathiam harum potentiarum. Et ad hoc optime confert radicatio illarum facultatum in eadem anima; illa enim, seu suppositum per illam, est quod principaliter operatur et utitur his facultatibus, et ideo, dum per unam percipit obiectum sibi conveniens, per aliam illud appetit; non quidem quia per unam efficiat in aliam, sed quia ex obiecto per unam apprehenso excitatur ad operandum per aliam, quae excitatio non est per immutationem realem et effectivam, sed per metaphoricam seu finalem, et ideo non requirit localem propinquitatem, sed animalem, ut sic dicam. Atque idem proportionaliter dicendum est de appetitu et potentia motiva; quamquam enim dici posset omnem motionem inchoari ex corde, et mediis spiritibus ac nervis procedere usque ad partem in qua exercetur vel apparet motus, tamen, quod ad praesens attinet, applicatio potentiae motivae per appetitum non est per actionem propriam et physicam unius potentiae in aliam, sed per subordinationem potentiarum in eadem anima; quo modo etiam intellectus et sensus applicantur ad operandum per voluntatem et appetitum, de quo latius philosophi in libris de Anima, et theologi in I-II. De efficientia vero specierum sensibilium in sensibus internis, mediis externis, alia est ratio et longe diversa, nam hic revera propria efficientia intervenit, quae per medium fieri debet, ut ab oculo dicuntur species visibiles tendere usque ad sensum communem per nervum opticum; haec enim actio talium specierum non est proprie vitalis aut immanens, sed est proveniens ab extrinseca mediis illis instrumentis, et ideo per medium proprie diffunditur, sicut aliae actiones naturales.

*De actione rei spiritualis in corpus*

41. Hactenus dictum est de agentibus et patientibus corporalibus inter se; in quinto vero argumento agitur de actione rerum spiritualium in corpora et inter se. Et quoad priorem partem de actione spirituum in corpora, consequenter loquendo, dicendum est necessariam esse immediatam propinquitatem intelligentiae ad corpus ut illud possit movere localiter; suppono enim spiritum creatum nullam aliam actionem posse in corpus exercere, quod infra ostendam de intelligentiis disputando. Unde, si angelus ad movendum corpus potest imprimere impetum medio alio corpore quod non localiter moveat, sic quidem ad movendum localiter aliquod corpus sufficiet illi adesse immediatione virtutis; necessarium tamen erit ut immediatione suppositi sit praesens corpori in quo primo incepit illam virtutem imprimere. Si tamen (quod probabilius censeo) non potest angelus illam virtutem imprimere per intermedia corpora non mota, necessarium erit ut angelus movens proxime adsit immediatione suppositi ei corpori quod immediate movet. Et hoc modo aiunt philosophi unamquamque intelligentiam moventem caelum adesse ei orbi quem movet. Sic etiam theologi dicunt angelos suppositaliter adesse illis corporibus quae assumunt et in quibus apparent. Et quoties Scriptura dicit angelum movere vel deferre aliquem hominem, significat ibi angelum substantialiter adesse aut cum re, quam movet, moveri. Quod non esset necessarium, nisi oporteret angelum adesse ubi movet. Atque hoc plane supponit D. Thomas, I, q. 52 et 53, et 55, a. 2, ad 3, et q. 113, a. 6, ad 3, et clarius in locis infra citandis.

42. Neque obstat quod res spiritualis non habeat situm; habet enim substantialem et realem praesentiam definitam, secundum quam necesse est passo coniungi quando agit in illud. Nec modo disputo an operatio sit ratio illius praesentiae, quod theologi aliqui asserere videntur, vel, e converso, an praesentia illa secundum se sit prior vel etiam independens ab operatione, quod plures affirmant et mihi probabilius videtur; sed assero ad operationem necessariam esse praesentiam substantialem, quam fortasse vocavit *tactum spiritualem ad corpus* D. Thomas, q. 6 de Potentia, a. 7, ad 1.2; et apertius q. 16 de Malo, a. 1, ad 15, dicit quod angelus non agit immediate in aliquod corpus a se distans, et affert Damascenum dicentem: *Angelus ubi est, ibi operatur*. Qui videndus est lib. I de Fide, c. 16 et 17, et lib. III, c. 2.

43. Neque etiam obstat quod angelus moveat per intellectum et voluntatem, quia, ut inferius suo loco dicam, non movet per has potentias ut proxime elicientes motum, sed dirigendo et applicando potentiam exsequentem, quam oportet esse coniunctam passo. Quam responsionem insinuat D. Thomas, loco nuper citato de Potentia; cum enim obiecisset in argumento 12 movens et motum debere esse simul, angelum autem non esse simul cum corpore ex eo quod velit illud moveri, respondet: *Imperium angeli requirit exsecutionem*

*virtutis*; *unde oportet quod sit quidam tactus spiritualis ad corpus quod movet*; et Quodl. VI, a. 2, ad 2, quod erat simile, *Imperium angeli requirit exsecutionem virtutis* Et declaratur praeterea. quia si efficacia in movendo pensanda esset ex modo quo voluntas attingit suum obiectum, sicut voluntas angeli indifferenter velle potest propinquum et distans quantumvis, ita eadem efficacitate posset movere corpus propinquum. et distans quacumque distantia; consequens autem est plane absurdum, quia, cum virtutem habeat finitam, non est verisimile posse aeque operari in rem quantumcumque distantem, sed habere terminum in sphaera activitatis suae. Sicut ergo aliter comparatur potentia motiva ad subiectum quam voluntas ad obiectum, ita etiam in absoluta conditione propinquitatis et distantiae; potentia enim movens agit realiter et transeunter in subiectum quod movet, et ideo oportet ut sit realiter indistans ab illo; secus vero est de voluntate ut versatur circa obiectum in quod realiter non agit neque ipsum immutat.

*De actione spirituum inter se*

44. Altera pars illius argumenti erat de actione unius angeli in alium vel in animam separatam, quae actio etiam esse potest aut locutio aut motio localis. De hac eadem est ratio quae de motione corporis; nec video rationem differentiae quae assignari possit. Unde D. Thomas, in loco proxime citato, generaliter ait substantiam angeli debere coniungi rebus quas movet; non enim dixit *corporibus*, sed *rebus*, ut indicaret doctrinam esse generalem. Suppono autem sermonem esse quando unus angelus movet alium vere ac physice efficiendo in ille motum, nam si tantum moveat moraliter per imperium, illam tantum requirit praesentiam quae ad imperium sufficit, de quo eadem est ratio quae de locutione, nam imperium locutione fit.

45. *Qualiter angeli mutuo colloquantur*.— De locutione autem unius angeli ad alium non possumus hic ex professo dicere, nam est res theologica et ad explicandum difficilis; in genere tamen loquendo, altero e duobus modis in illa procedi potest. Unus est angelum loquentem nihil agere in eum cui loquitur, et sic facilis est in praesenti responsio, quia is angelus, cui alius loquitur non comparatur ad illum ut subiectum vel passum ad agens, sed tantum ut obiectum ad actum immanentem, et ideo mirum non est quod locutio possit esse immediate ad angelum quantumcumque distantem. Iuxta hunc autem dicendi modum, ad argumentum factum respondendum est locutionem unius et excitationem alterius non fieri per actionem transeuntem ab uno in alium, sed quasi per quamdam sympathiam naturalem; quia dum unus angelus vult ut alius percipiat suum actum vel conceptum, statim alter utitur specie quam habebat illius actus vel conceptus ut attendat loquenti. Nec video quo alio modo possit illa sententia explicari; statim vero inde apparet quanta in ea sit difficultas, quod, nimirum facultates radicatae in diversis essentiis vel substantiis habeant inter se naturalem sympathiam et connexionem ac concomitantiam in agendo, non causalem,[13] sed infallibilem ac per se, sine actione unius in aliam. Cui difficultati accedit alia, si angelus habet innatas species actuum alterius, cur non possit illos intueri statim ac sunt, si velit, etiamsi alius ipsum non excitet et quasi applicet per ordinatiorem seu voluntatem suam? Rursus accedit difficultas de illuminatione qua unus angelus non solum loquitur, sed etiam docet alium; ad quam, etiamsi illa sympathia admittatur, non videtur sufficere. Tandem, quidquid sit de locutione in rigore sumpta, extendi potest difficultas ad omnem actionem speciei intelligibilis; est enim probabile unum angelum, quatenus est obiectum actu intelligibile, posse, quantum est de se, imprimere speciem sui vel suorum actuum in alium angelum, si tali specie careat. Et quidquid sit de angelis inter se, respectu animae quae separatur a corpore, id est magis receptum; posita ergo tali actione manet integra difficultas, si illa non impeditur per distantiam.

46. Alter ergo dicendi modus esse potest admittendo aliquam actionem intellectualem unius spiritus in alium per realem affectionem alicuius speciei intelligibilis, vel alicuius intensionis aut modificationis eius. Qua supposita, potest adhuc dupliciter

[13] causalem, 1960, *ed. Vivès*; casualem, *alit*. "Consideramos esta lectura más en consonancia con el contexto". Cf. BHF, v. III, p. 259.

responderi ad difficultatem tactam. Primo, excipiendo hanc actionem a generali regula tradita. Quem modum insinuat D. Thomas in citata quaestione de Anima, et in Quodl. VI, a. 10. Et rationem utroque loco significat, quia idem est in angelis ordo quod in corporibus situs, et ideo actio pure intellectualis non pendet ex situ aut medio, sed ex ordine naturae. Et in I, q. 107, a. 4, addit operationem intellectus abstrahere a loco et tempore, et ideo locutionem quae per illam fit non impediri ob distantiam. Et potest hoc confirmari, nam incredibile videtur non posse unum angelum loqui ad alium nisi sint indistantes supposito et substantia, nam per medium non potest deferri illa actio. Haec vero sententia revera videtur earum consequens ad omnia dicta, quia valde enervat principium positum totamque rationem eius. Item, quamvis in angelis non sit situs, est tamen praesentia substantialis; ergo differentia assignata nulla est ad excludendam necessitatem huius praesentiae ad dictam actionem; alias neque esset necessaria indistantia inter angelos ut unus localiter moveret vel detineret alium. Item, iuxta illam rationem, Deus ex vi actionis qua creat vel illuminat angelum non esset intime praesens in illo per essentiam, sed solum ratione immensitatis; quod est contra D. Thomam et veriorem doctrinam, ut infra videbimus. Sequela patet, quia etiam Deus agit in angelum ut spiritus in spiritum; ergo est eadem ratio de illo. Erit ergo propter haec probabilis ultimus dicendi modus, quod ad hanc etiam actionem et ad locutionem angelicam, si illam actionem requirit, necessaria sit indistantia. Inter quas sententias aliis relinquo iudicium, quae simpliciter probabilior sit; solum assero hanc tertiam esse magis consequentem ad rem quam nunc tractamus, nisi eligatur prima, cuius difficultatibus satisfacere difficillimum est.

*De sphaera activitatis*

47. Ultima difficultas proposita in sexto argumento facillime solvitur ex secunda et tertia parte ultimae assertionis, quas probabiliter suadet, et contra superiores assertiones nihil probat. Quamvis enim demus habere unumquodque agens naturalem sphaeram activitatis certae magnitudinis, in quam possit per se et propria virtute actioneque agere, non sequitur posse immediate agere in partem remotam illius sphaerae non agendo in propinquam, quia non potest agere nisi continuata actione, inchoando illam a passo sibi propinquo et indistanti, et continue diffundendo illam per totam sphaeram; hunc enim modum agendi determinat sibi quaecumque causa efficiens. Neque est inconveniens quod causae omnes, etiamsi sint virtute inaequales, aeque determinent sibi hanc passi propinquitatem, quia hoc non provenit solum ex limitatione vel imperfectione virtutis, sed ex natura huius causalitatis; limitatio autem sphaerae provenit ex limitatione virtutis, et ita iuxta inaequalitatem virtutis erit etiam inaequalis sphaera, si caetera paria sint. Recte autem videtur probare argumentum illud non limitari agentia naturalia ad agendum per se et per suam propriam virtutem in solam superficiem ultimam corporis sibi contigui, sed intra aliquod certum spatium, quod possunt sua virtute attingere, etiamsi per possibile vel impossibile una pars medii non agat in aliam; quod in ultima conclusione asseruimus.

48. Non probat autem argumentum illud (quamvis ad hoc etiam tendere videatur) esse impossibilem illum modum agendi per partem propinquam in remotam per totum spatium, ita ut quantumvis per partes proportionales dividamus partem remotam a propinqua, immo et superficiem proximam a reliqua magnitudine, semper possit effectus active procedere ad remotum per propinquum, quia in hoc modo agendi nulla involvitur repugnantia, quia qualitas recepta in medio aut in qualibet parte medii, vel in superficie, potest esse activa, et passum est etiam aptum ad recipiendam talem qualitatem, et pars remota est in debita proportione respectu propinquioris ut ab illa pati possit; quia actio procedit uniformiter difformiter a principio sphaerae usque ad finem; ergo concurrere possunt omnia necessaria ut actio semper fiat per propinquum in remotum. Neque enim obstare potest infinitas partium proportionalium, quia similis infinitas est in successione actionis. Non ergo asserimus hunc modum esse impossibilem, sed asserimus imprimis non esse necessarium ut omne agens requirat propinquitatem et indistantiam passi in quod primo agit. Neque etiam sufficere ad definiendam sphaeram activitatis agentis per se ex vi quantitatis ac limitationis virtutis eius. Asserimus deinde, etiam quando actio illo modo procedit per partem propinquam in remotam, non ita fieri ab una parte in aliam quin agens simul et actualiter cum omnibus agat intra sphaeram suae activitatis, et ideo efficacior sit

actio in partem remotam per propinquam quam si sola pars propinqua per virtutem in se receptam ageret in remotam. Et utrumque horum assertum est in ultima conclusione, et videtur sufficienter probari ex omnibus dictis et contentis in illa ultima difficultate.

*SECTIO IX*

*UTRUM CAUSA EFFICIENS AD AGENDUM REQUIRAT PASSUM SIBI DISSIMILE, ET IN QUA PROPORTIONE*

1. *Dubitandi difficiles rationes.— Prima.*— Ratio difficultatis primo sumi potest ex dictis sectione 4, ubi ostensum est interdum agens agere in seipsum etiam secundum eamdem partem; non potest autem idem sibi esse dissimile secundum eamdem partem; ergo non est necesse ut semper passum sit agenti dissimile. Dicetur fortasse, quando aliquid in se agit, semper operari per virtutem alterius rationis a forma quam in se agit, et ita in principio actionis esse sibi dissimile, quatenus non habet formaliter illam formam, sed tantum virtualiter.

2. *Secunda.*— Sed contra hoc argumentor secundo, nam interdum aliquid agit in seipsum etiam per eamdem qualitatem formaliter; calor enim vel frigus alicuius corporis, quando circumdatur ab agente contrario, solet seipsum intendere et quasi fortificare ad resistendum vel debellandum aliud, ut patet in calore ventriculi, qui hac ratione tempore hyemis fortior est, ut experientia ostendit, et testatur Hippocrates, aphorismo 15. Idem patet in aere existente in cavernis vel locis infimis, qui tempore hyemis calidior est. Nec potest hoc tribui extrinseco agenti, cum illud contrarium sit et non possit qualitatem sibi oppositam intendere. Neque etiam potest tribui dimanationi naturali ab intrinseca forma, tum quia haec ex se semper est maxima quae esse potest, cum sit mere naturalis; neque est cur augeatur propter circumstans contrarium, immo inde potius deberet impediri; tum etiam quia non solum in naturali, sed etiam in praeternaturali subiecto invenitur ille modus actionis, nam etiam aqua in puteis calidior fit tempore hyemis.

3. *Tertia.*— Tertio est simile argumentum, quia interdum una res agit in aliam sibi similem in qualitate et intensione, etiamsi actio per eamdem qualitatem fiat. Assumptum patet communi exemplo de ferro, quod licet in se non habeat summum calorem, sed ut sex, verbi gratia, intendit similem calorem in palea vel stupa, ita ut illam comburat. Et ad eumdem modum calor et lumen medii intendi solet per reflexionem a calore vel lumine corporis extreme distantis, etiamsi illud in se calidius vel lucidius non sit intensive; ut cum sol directe calefacit aerem et terram, calor aeris intenditur ex reflexione terrae, et similiter intenditur lumen aeris ex reflexione speculi, etc., cum tamen nec calor in terra nec lumen in speculo potuerit esse intensius quam in aere ex actione solis, cum magis distent a sole quam aer.

4. *Quarta.*— Quarto, si ob aliquam causam esset necessaria haec dissimilitudo, maxime ut agens superet in virtute agendi passum; sed ob hanc causam non est necessaria, tum quia fieri potest ut aliunde proveniat illa superior virtus, nimirum ex maiori densitate aut ex aliis conditionibus subiecti; tum maxime quia non semper videtur necessarius ille excessus ex parte agentis, alioqui nunquam passum posset reagere in suum agens. Quia vel superatur ab illa in virtute, vel non; si non superatur, et nihilominus ab illo patitur, iam in agente non requiritur excessus virtutis; si vero superatur, et nihilominus in illud reagit, ergo ad reagendum non requiritur excessus virtutis; at vero reactio vera ac propria actio est et causalitas effectiva; ergo ad hanc non semper est necessarius excessus virtutis; ergo nec dissimilitudo in forma seu ratione agendi. Tandem fieri potest ut actio sit coaeva. agenti, ut illuminatio soli; tunc autem nunquam intercedit dissimilitudo inter agens et patiens, quia semper fuerunt similia.

*Notationes ad resolutionem quaestionis*

5. *Dissimilitudo inter agens et passum: pro initio actionis attendenda.*— Advertendum est, cum inquirimus an efficiens requirat passum sibi dissimile, non esse sermonem de fine actionis, sed de initio, seu de dispositione et proportione quae antecedere

debet inter agens et passum ad actionem, quia hic inquirimus conditiones requisitas ad agendum, non eas quae consequuntur actionem. Et praeterea, quia in fine actionis non tam comparabitur passum ad agens quam effectus ad causam. Quo fit ut dissimilitudo in termino actionis non possit esse de ratione causae efficientis, cum potius intentio agentis sit reddere passum sibi simile. Quod si id interdum perfecte non assequitur, provenit ex imperfectione effectus, et haec aliquando oritur ex debili virtute agentis, quod non potest vincere resistentiam passi; aliquando ex incapacitate passi et nobiliori virtute agentis, quod universale est seu causa aequivoca agens per formam superioris ordinis, quam effectus non potest secundum eamdem rationem recipere, et ideo fit similis secundum aliquam analogiam vel rationem communem, non vero perfectam.

6. *Rei quae agit actio potest esse coaeva*.— Rursus observandum est, cum inquirimus dissimilitudinem quae antecedere debet inter passum et agens, non esse sermonem de antecessione in tempore aut duratione, sed ordine naturae et causalitatis; illa enim prior, licet saepe intercedat, per se necessaria non est, ut recte convincit ultimum argumentum in principio factum. Neque enim dubitandum est quin possit actio esse coaeva agenti, quando illa successionem non requirit et absque resistentia fit. Unde, si illa sit actio naturalis et ex sua specie talis sit ut possit reddere passum perfecte simile agenti, a principio perficiet illam similitudinem; nam agens naturale, statim ac est, agit quantum potest; et ideo si agit sine resistentia, a principio producit effectum perfectum; ergo secundum realem durationem in ea actione passum nunquam est dissimile agenti. Nihilominus tamen ordine naturae intelligi potest dissimile, quia tale passum ex se, seclusa actione agentis, non haberet similitudinem cum illo. Et ita actio illa non fit circa passum ut iam simile, sed potius reddit illud simile; atque ita formaliter fit ex dissimili.

*Resolutio quaestionis*

7. *Agit quidque in dissimile in forma, et in materia simile*.— Sic igitur explicato quaestionis sensu, facile est eius resolutio; dicendum est enim causam agentem efficere non posse in passum, nisi quatenus est sibi dissimile in forma seu termino actionis. Hoc est veluti primum principium in philosophia; tradit illud Arist., I de Generat., c. 7, text. 46, ubi ait maximam partem veterum summa animi consensione affirmasse rem nullam similem a simili quidquam pati, *quod alterum nihil magis agens aut patibile altero sit*. Et text. 48 idem confirmat, quia alias eadem ratione idem a seipso afficeretur. Quod in sequentibus declarat dicens hanc dissimilitudinem necessariam esse secundum formam seu speciem, nam in materia seu genere subiecto potius requiritur similitudo inter agens et patiens, quod paulo inferius declarabimus. Idem principium supponit Aristoteles eodem I lib. de Gener., c. 9, dum ait *agens agere quatenus est actu, pati vero passum ut est in potentia*. Quod etiam docet toto lib. I Phys., et lib. III, in principio, et lib. VII, a text. 35, et lib. VIII, a principio. Et expositores his locis generatim ita sentiunt, quamvis nonnulli in aliquibus particularibus actionibus non recte id declarent, ut respondendo ad difficultates videbimus.

8. *Conclusionis ratio*.— *Absurda ex opposito conclusionis*.— Ratio autem tacta est quia agens agit quatenus est in actu, et ad agendum requirit passum quod sit in potentia; sed id quod est in potentia, ut sic est dissimile ei quod est in actu, ut sic; ergo. Maior quoad priorem partem constat, quia agere est communicare seu dare esse, et ideo necesse est ut tale esse supponatur actualiter in causa, vel formaliter vel eminenter, iuxta modum et dignitatem agentis; nemo enim dare potest quod in se aliquo modo non habet. Et eadem fere ratione probatur altera pars eiusdem propositionis, quia dum agens communicat suum esse passo, deducit illud de potentia in actum; ergo passum, ut tali actioni substernitur, supponitur in potentia. Et ideo in I Phys. privatio ponitur inter principia ad generationem necessaria ex parte materiae, quae principia in omni mutatione vel actione quae fit ex subiecto proportionaliter necessaria sunt. Ab incommodis etiam optime confirmavit conclusionem Aristoteles, quia alias nulla esset ratio cur ex duobus similibus unum potius in aliud ageret quam e converso. Item, quia idem posset seipsum intendere. Item, nullus esset finis actionum, sed post perfectam pugnam inter contraria, et comparata victoria et assimilato

passo, tunc denuo inchoaretur actio. Ac denique, ut Aristoteles ait, hoc modo nihil vindicari poterit neque ab occasu neque a motu.

*Corollaria ex praecedenti resolutione*

9. Atque ex his rationibus sequitur primo dissimilitudinem per se necessariam inter causam agentem et patientem solum esse eam quae est inter habitum et privationem, seu inter rem constitutam in actu vel existentem in potentia; nam si in passo supponatur capacitas ad recipiendam formam, et agens habeat virtutem ad producendam illam, nullam aliam dissimilitudinem ex parte passi requirit, nisi quod careat tali forma; quia neque ex ratione motus aut actionis neque ex alio generali principio alia potest in universum requiri. Unde, quod in rebus generabilibus et corruptibilibus inveniatur non solum haec dissimilitudo, sed etiam positiva oppositio et contrarietas, non est ex ratione causae efficientis ut sic, sed ex eo quod tales res ita sunt institutae ut mutuam inter se pugnam et actionem habere possint, et ex se invicem generari et corrumpi secundum speciem. Est autem animadvertendum inter causas efficientes quasdam esse univocas, alias vero aequivocas, quas voces iam supra explicuimus; agimus autem de causis principalibus, nam ex illis facile est doctrinam ad instrumentales accommodare. In causis ergo univocis dicta conditio propriissime et formaliter intercedit; nam cum agens introducat in passum formam eiusdem rationis cum illa per quam agit, supponit in passo carentiam eius, et consequenter supponit formalem dissimilitudinem cum illo.

10. At vero causa aequivoca non inducit in passum formam eiusdem rationis, atque adeo formaliter similem suae formae per quam agit, et ideo proprie non supponit in passo formalem dissimilitudinem, id est carentiam illius formae secundum speciem quam in se habet, sed supponit dissimilitudinem inter passum ut actioni supponitur et ut per actionem perficitur, et consequenter etiam supponit in passo carentiam illius similitudinis quae inter formam aliquam formaliter sumptam et aliam quae eminenter continet illam intercedere potest. Et ratio est clara. Primo, causa aequivoca non facit formalem similitudinem, sed eminentialem tantum (ut ita dicam); ergo proportionalem tantum dissimilitudinem praerequirit; nam sola privatio formae quae terminat actionem agentis ad actionem necessario supponitur. Etenim ad actionem non requiritur quod passum careat forma, quae est formaliter in agente, si illam non est formaliter seu eiusdem rationis recepturum; sed solum oportet ut careat illa forma quae in ipso est introducenda et futura est terminus actionis, etiamsi in agente solum sit virtualiter seu eminenter, quia privatio ad actionem requisita non opponitur formaliter formae quae est principium actionis, sed quae futura est terminus ad quem actionis, cum talis privatio habeat rationem termini a quo. Sic igitur dissimilitudo necessaria inter huiusmodi agens et passum non oportet ut sit formalis, sed sufficit eminentialis, ut declaratum est. Et hac ratione unum grave potest movere aliud deorsum, etiamsi sint in gravitate similia, vel etiamsi simul deorsum moveantur et in hoc etiam sint similia, quia formalis terminus illius motus non est gravitas, sed *Ubi* inferius, quod quodammodo continetur virtute in gravitate, et ideo illius privatio, non vero privatio gravitatis, necessaria est ad illum motum. Et idem est de omnibus similibus, praesertim in actibus immanentibus, in quibus semper actio potentiae aequivoca est, de qua communiter dici solet non tam tendere ad producendum simile quam ad producendum proportionale, id est, actum secundum consentaneum primo et qui sit perfectio eius, in quo non formaliter, sed virtute et eminenter continetur. Ideoque in illa etiam actione, inter principium activum et passivum, quatenus talia sunt, supponitur tantum dicta eminentialis dissimilitudo, nimirum, quod in altero contineatur eminenter actus quem alterum non habet formaliter, donec illum recipiat a principio activo, quae dissimilitudo semper reperitur, sive illa principia in re distinguantur sive tantum ratione, ut in solutione ad primum magis constabit.

11. *Ex quibus capitibus inter duo non sit actio.— Primum.— Secundum.—* Secundo sequitur ex dictis ad efficientiam per se requiri ut causa agens habeat vim in passum et circa capacitatem eius, quia alias impossibile esset sequi actionem. Hoc sequitur ex dictis; nam ob

hanc causam necessaria est praedicta dissimilitudo inter agens et passum, ut in agente, quatenus est in actu, possit esse vis ad subiiciendum sibi passum, quod est tantum in potentia. Et confirmatur, nam, sicut impossibile est formam informare materiam nisi habeat vim informativam proportionatam materiae, ita neque agens potest in suo genere actuare subiectum nisi habeat vim in illud, quia in universum actus secundus requirit actum primum proportionatam. Ut tamen hoc amplius declaretur, advertendum est ex quatuor capitibus oriri posse ut inter aliqua duo non sequatur actio, loquor de naturalibus agentibus. Primo, si in illis non sit virtus activa. Secundo, si in altero sit virtus, in altero vero non sit capacitas illius formae quam aliud agere potest, ob quam causam ignis non potest calefacere caelum; et ideo Aristoteles non posuit negationem principium generationis seu mutationis, sed privationem, quia debet esse in subiecto capaci. Ideo etiam dixit, in I de Gener., requiri inter agens et passum dissimilitudinem in forma et similitudinem in materia, ratione cuius passum sit capax formae agentis. Quod tamen non est eodem modo in omnibus agentibus verum; nam caelum agit in haec inferiora quamvis cum illis in materia non conveniat, et intelligentia movet corpus cum quo non convenit in materia. In agentibus ergo quae agunt actione univoca et corruptiva est simpliciter vera illa propositio, et de illis proprie locutus est Aristoteles; nam ibidem dixit agens quod convenit cum passo in materia, pati etiam ab illo, secus vero esse de agente superiori, quod in materia non communicat. In agentibus ergo actione aequivoca solum requiritur illa convenientia secundum communem aliquam rationem; loquimur enim de agentibus creatis, in quibus nullum potest alterare vel generare aliud nisi aliquo modo conveniant in materia, saltem in communi, quia oportet ut utrumque sit materiale. In motu etiam locali id reperitur, quod movens et motum semper conveniunt aliquo modo in capacitate recipienda motum sibi proportionatum; nihil enim creatum movere potest localiter nisi ipsum etiam sit mobile, ut de corporibus constat, et de intelligentiis etiam infra dicemus. Sed hoc quodammodo extrinsecum est ad rationem agentis; intrinsecum autem est quod in passo sit capacitas illius formae cuius activa vis est in agente.

12. *Tertium*.— Tertio impedietur actio si illa capacitas iam sit in actum reducta, quia tunc etiam cessat vis agentis in passum, eo quod iam factum sit quidquid ab illo fieri poterat, quod coincidit cum his quae hactenus diximus, nempe nihil posse agere in sibi simile quatenus tale est, quod tam est verum in agentibus univocis quam in aequivocis, loquendo de proportionata similitudine, quae inter ea et effectus eorum esse potest, ut ex superioribus constat. Ratio enim proportionalis ex hac eadem radice oritur, scilicet, quia iam tota vis talis causae expleta est in tali passo, et ideo nihil ei superest agendum. Dices: etiamsi passum sit in actu per unam formam vel qualitatem, adhuc manere posse in agente vim ad introducendam aliam similem, alioqui tota haec quaestio reducetur ad illam, an, scilicet, duo accidentia solo numero differentia possint esse in eodem subiecto. Respondeo non posse, quia postquam subiecti capacitas uno actu completa est, iam non manet in potentia ad alium similem actum, et quoad hoc verum est esse valde coniunctam hanc quaestionem cum illa de pluribus accidentibus solo numero differentibus in eodem subiecto. Nam si in eadem materia possent esse plures formae substantiales, vel specie vel numero differentes, posset naturale agens inducere alteram formam in materiam quae tantum unam haberet; ergo similiter, si subiectum posset habere duo accidentia omnino similia, quamvis haberet unum, posset aliud recipere a simile agente, vel etiam a seipso, et ideo diximus supra, disp. V, sect. 9, non posse accidentia solo numero diversa et omnino similia simul recipi in eodem subiecto.

13. *Quartum*.— Quarto tandem, supposita virtute ex parte agentis et capacitate in passo, cum dissimilitudine et privatione, adhuc potest impediri actio ob resistentiam passi. In quo est observandum ad actionem ut sic per se non requiri resistentiam in passo, sicut etiam diximus non esse necessariam contrarietatem vel oppositionem positivam; nam privatio ut sic non resistit, sed potius parat viam ad actionem; quidquid ergo resistit reducitur ad positivam contrarietatem vel repugnantiam, et ideo per se non requiritur ad actionem, quin potius ex se impedit vel retardat actionem. Unde, quod actio sit successiva, et non instantanea, ex resistentia passi provenit, nisi interveniat motus localis, cui est intrinseca talis successio, ut ex philosophia constat, et inferius, in tractatu de actione et passione, attingemus. Hinc ergo fit ut, quando ultra dissimilitudinem passi intervenit etiam resistentia,

si tanta sit ut vel superet vel aequet virtutem agentis, impediatur actio; et ideo est commune philosophorum axioma et quasi primum principium, ad efficiendum necessariam esse proportionem maioris inaequalitatis, id est, in qua maior sit virtus in agente quam resistentia in passo. Quod sumptum est ex Aristotele citatis locis, et patet facile, quia agens ut agens vincit passum, saltem quantum ad id quod agit; ergo necesse est ut secundum eam rationem viribus illud superet; alias quomodo vincere posset? Atque hoc in solutione quarti argumenti amplius declarabitur.

*Argumentorum solutiones*

14. Superest igitur ut argumentis satisfaciamus; et ad primum quidem recte ibi responsum est, et ex omnibus quae diximus, declarata est responsio, et potest amplius declarari. Nam idem potest simul et secundum eamdem partem esse in actu primo et in potentia ad actum secundum, quod alii dicunt in actu virtuali et potentia formali; et ita secundum eas duas rationes, sive re sive ratione tantum et habitudine distinguantur, habet ad se quamdam dissimilitudinem, non propriam et formalem, sed eminentialem et virtualem, quae satis est ad actionem, ut diximus.

*De antiperistasi*

15. *Quorumdam opinio*.— In secundo argumento petitur vulgaris difficultas de antiperistasi, quae pure physica est, et in I de Generat., c. 7, solet ex professo tractari, et ideo pauca attingam huic loco necessaria. Dicunt ergo quidam ad rationem illam, quamvis eadem qualitas non possit seipsam intendere directa actione, tamen reflexa posse, quam aiunt eo casu intervenire in hunc modum, quod res calida, verbi gratia, a suo contrario obsessa, quasdam species in illud immittit, quae sunt veluti instrumenta ad agendum in illud; cum autem ipsum contrarium illis speciebus resistat, illae in suum agens reflectuntur, atque ita illud intendunt. Ita docent Marsil., I de Gener., q. 17 et 18; Albertus de Saxon., q. 15; Venetus, in Summa de Gener., c. 23, et in Summa Meteor., c. 3, et alii. Sed haec sententia dicit incredibilia et non solvit difficultatem. Primo enim fingit species intentionales sine fundamento. Deinde facit illas instrumentum alterationis materialis, quod inauditum est. Rursus facit illas euntes et redeuntes, cum tamen sint accidentia, nisi fortasse dicat esse aliqua corpuscula, quod incredibilius est; vel nisi dicat illum reditum esse metaphoricum per reactionem, quod verum esse non posse iam patebit probando alterum membrum, scilicet, non solvi difficultatem. Quod patet primo quia illae species, quidquid illae sint, sunt instrumenta agentis a quo manant; agunt ergo in virtute illius; ergo non possunt excedere in agendo virtutem eius; quomodo ergo possunt illud intendere, etiamsi ad illud revertantur? Secundo, haec actio saepe fit absque diffusione aliqua seu actione per medium, ut quando agentia contraria sunt proxime vicina, et alterius virtus roboratur in se; tunc enim nullae sunt species quae redire ad ipsum possint, quia nec recipiuntur in contrario, ut supponitur; nam propter resistentiam eius dicuntur redire ad suum principium; neque etiam in medio, quia nullum est. Denique interdum haec actio fit circa subiectum cui talis qualitas repugnat, ut in aqua puteali; non ergo potest esse per actionem reflexam eius.

16. *Aliorum sententia.— Impugnatur.*— Alii ergo dicunt[14] unum contrarium a fortiori circumdatum, ex naturali appetitu suae conservationis sese colligere et unire suamque actionem in se convertere, ut se tueatur. Additque Niphus, I de Gener., text. suo 195, in recognit. dub. 2, unum contrarium per se habere vim ad agendum per aliquam sphaeram, et quia a contrario obsistente impeditur ne diffundat illam extra se, eam in se convertere et ita se intendere. Sed haec etiam opinio et falsa est et difficultatem non solvit. Probatur, quia iam admittit non solum simile agere in simile, sed etiam idem in seipsum secundum eamdem formalem qualitatem. Nec refert si dicatur hoc accidere ob circumstans contrarium et quasi ex metu illius; nam vel ad illam actionem est in ipsa qualitate intrinseca virtus naturalis, vel non; si est, ergo a principio ac semper efficiet in se illam actionem et

[14] Vide. Tolet., 1 de Gener., q. 14.

intensionem absque occasione contrarii, quia naturalis virtus naturaliter exsequitur totam vim suam absque alia occasione, dummodo non sit impedita. Si vero non est in re virtus sufficiens ad illam actionem, non efficiet illam, etiamsi contrarium eam urgeat. Simile argumentum fiet inquirendo an illa maior intensio sit naturalis tali rei et qualitati vel non. Nam si est naturalis, habebit illam semper ab intrinseca natura dimanantem, neque expectabit necessitatem tuendi se a contrario ut illam faciat. Si vero est praeternaturalis, non potest ab intrinseco ex ipsamet qualitate provenire.

17. Rursusque inquiram an illa maior intensio occasione instantis contrarii ab intrinseco acquisita, ablato contrario antequam diminuat,[15] perseveret in re, an non. Nam si perseverat, signum est esse naturalem, et a principio ac per se semper fuisse futuram absque occasione contrarii agentis, si nullum fuisset impedimentum. Si vero non perseverat, ergo nunquam potuit ab intrinseca fieri; nam perfectio quae ab intrinseco manat non tollitur absque extrinseco agente. Denique vix intelligi potest quid significent illa verba, quod agens sese colligit et magis unit, aut quod ad se actionem convertit. Aut enim significant quod sese condensat et omnes partes suas in minorem locum redigit, et hoc facile improbatur argumentis factis, applicando illa proportionaliter, quia vel ille motus aut condensatio est naturalis, vel non; si est naturalis, semper inerit, per se loquendo; si non est naturalis, non fiet ab intrinseco propter instans contrarium. Id quod etiam confirmat experientia, non enim experimur in omnibus rebus, quae a suis contrariis patiuntur huiusmodi motus; oporteret autem in omnibus fieri, si id naturaliter proveniret ex vi appetitus se tuendi a contrario. Quod autem addebatur, nempe convertere agens actionem in se, quia impeditur ne illam diffundat, nullam habet verisimilitudinem, quia, ex eo quod cesset agens ab actione in aliud, non fit capax actionis in se, nec maioris intensionis. Alias, res existens in vacuo hoc ipso se intenderet quod non potest agere in aliud. Item, quia illa effectio maioris intensionis excedit propriam virtutem; ergo, licet agens impediatur ne in actionem sibi proportionatam prodeat, non ideo potest efficere in se actionem quae propriam superet virtutem.

18. Alii ergo, non invenientes viam ad declarandam hanc actionem, negant esse in rebus talem actionem, et ad experientias respondent esse apparentes, non veras, et huiusmodi apparentiae variae excogitantur causae quae fictae sunt et sensui repugnant; quamquam Galenus, lib. III de Simplicium medicam. facult., c. 3, in hanc sententiam propensus sit.

19. *Duplex modus declarandi actionem per antiperistasim.— Balneae et animalis ventriculum cur hieme calidiores.— Idem de aqua puteali.—* Dicendum est ergo duobus tantum modis intendi qualitatem aliquam occasione circumdantis contrarii, scilicet, vel ab extrinseco agente, quod ea occasione ibi includitur ac detinetur, vel, e converso, quia per eam occasionem recedit extrinsecum corrumpens, et statim res ab intrinseco se reducit ad naturalem statum, qui illam maiorem intensionem postulat; et ita fit ut nunquam qualitas intendat seipsam. Priorem modum tetigimus sectione praecedenti, ubi ex Aristotele diximus balneas in hieme esse calidiores quia a medio frigidiori calor in eis includitur atque impeditur ne foras erumpat, quod de calidis exhalationibus declaravimus. Sic etiam venter animalis calidior est in hieme, quia animales spiritus intus retinentur, eo quod frigiditas aeris cutem et poros stringit, ut Galenus notavit, declarans citatum aphorismum Hippocratis, et eleganter Aristot., sect. 2 Problem., q. 29, ubi alia exempla adducit. Et ex eadem causa (opinor) provenit quod in hieme aqua putei sit calidior, quia, nimirum, aliquae exhalationes calidae in cavernis terrae generatae impediuntur ne ascendant existente medio densiori et crassiori propter maiorem frigiditatem.

20. In qua tamen experientia duo sunt difficilia. Unum, unde sint ibi tales exhalationes. Aliud, quomodo possint, cum sint tenuissimae, agere in aquam, quae frigidissima est. Ad primum vero dicendum est, virtute solis et aliarum influentiarum caelestium generari huiusmodi exhalationes ex terra, quae ob densitatem suam et siccitatem, quam, per se loquendo, maiorem habet in inferioribus partibus, apta materia est ut ab ea huiusmodi exhalationes excitentur. Et fortasse plurimae ex his aestivo tempore ibi generatae,

[15] diminuat, 1960; dimanat, 1751 (ed. Balleoliana). “La sustitución… nos parece totalmente desacertada.” Cf. BHF, v. III, p. 274.

postea diutius ibi detinentur ob causam supra dictam. Illae autem, cum sint subtiliores aqua, facile miscentur dum ascendere conantur, et ita facile poterunt eius frigiditatem temperare, saltem continue in illam reagendo. Fortasse etiam aer inclusus in cavernis vel poris terrae, cum natura sua calidus sit, ob eamdem causam calidior est et ad illam actionem iuvat. Alter modus huius actionis declaratur aliis exemplis: primum est de aqua puteali, quae tempore aestatis est frigidior; nam exhalationes calidae, a quibus calefieri posset, ibi non consistunt, sed celerius ascendunt, tum quia medium, eo quod sit calidius et rarius, non impedit, tum etiam quia eo tempore illae exhalationes subtiliores sunt propter vehementiorem solis influentiam. Atque ita remoto agente contrario, aqua ab intrinseco frigidior fit, non quam natura eius postulet, sed quam antea esset dum a contrariis suis plus pateretur. Hoc etiam modo evenit ut aqua frigida soli in aestate aliquantulum obiecta, frigidior fiat; nam calor extrinsecus efficit in medio vel in externa superficie aquae, aut in vase quod illam continet, aliquam raritatem, et tunc si quid vaporis calidi aquam circumdabat, vel ei permixtum erat, evaporatur facilius, et inde fit ut aqua ad naturalem statum magis se reducat; et fortasse etiam condensatur amplius non solum ob dictam causam, sed etiam occasione vitandi vacuum; atque ex hoc etiam capite frigus crescit. Legatur Aristoteles, sect. 24 Problem., q. 13, et I Meteor., c. 12. Altero ergo ex his duobus modis possunt omnes experientiae similes declarari, ut nunquam necesse sit admittere idem intendere seipsum secundum eamdem qualitatem; nam quando illa intensio est ab intrinseco per naturalem dimanationem, tribuitur generanti.

*An multitudo agentium, seu densitas materiae unius, conferat ad intensionem actionis*

21. *Quorumdam sententia affirmans*.— In tertio argumento duae petuntur difficultates: una est an qualitas existens in densiori subiecto possit in alio rariori intendere sibi similem ultra suum gradum; seu, quod idem est, an plura agentia partialia vel plures partes eiusdem agentis propter maiorem applicationem ad idem passum sibi simile in qualitate et aequale in gradu, possint intendere qualitatem eius. Multi enim ita affirmant, ut Marsilius, I de Gener., q. 19; et Soto, II Phys., q. 2; et Niphus, I de Generat., suo text. 195, dub. 2, q. 2. Ratio eorum est quia virtus agentis non solum crescit ex intensione formae, sed etiam ex multitudine, dicente Aristot., VIII Phys., text. 80, in maiori magnitudine maiorem virtutem existere; ergo si tota illa virtus magis applicetur eidem passo, ut fit quando agens est densius, maiorem etiam effectum faciet. Et confirmatur communi exemplo supra posito de ferro candenti, et de duobus luminosis aequalibus et aeque applicatis eadem parti aeris. Item de actibus aequalibus multiplicatis, qui intendunt habitum, et de guttis aequalibus aeque cadentibus, quae tandem cavant lapidem. Et confirmatur secundo, nam aer in hieme congelat aquam, quia, nimirum, intendit frigiditatem eius ultra eum gradum frigiditatis quem in se habet; nam si ipse esset tam frigidus, etiam condensaretur et fieret aqua.

22. Neque existimant hi auctores hanc suam sententiam esse contrariam doctrinae traditae de dissimilitudine requisita inter causam efficientem et passum, sed aiunt. sicut simile agit in simile secundum formam, si sit dissimile in gradu, ita etiam posse id quod est simile in forma et gradu agere in aliud simile, si sit dissimile in virtute et potentia; ita vero in praesenti accidere; nam calidum ut quatuor valde densum, licet non excedat in gradu aerem, neque manum aeque calidam, excedit in virtute et potestate. Quia haec non commensuratur soli intensioni, ut dictum est. Et declaratur praeterea, quia illud calidum densum habet vim producendi in alio totam formam quam in se habet; quia ergo in passo rariori non potest illam multiplicare ob incapacitatem eius, auget illam intensive.

23. *Reiicitur sententia relata.— Resolutio quaestionis.*— Hanc sententiam existimo falsam et contrariam principio posito, quod hoc sensu accipiendum est, scilicet, nullam rem posse quippiam agere in aliam sibi similem secundum eam formam in qua similes sunt, neque ei posse addere perfectionem seu intensionem, si supponantur esse perfecte similes, id est, non tantum in specie, sed etiam in gradu intensionis, quod Aristoteles citato loco de

Generat. dicit, *si sint omnino similes*. Quocirca ad argumentum factum dicendum est multitudinem formae cum aequali intensione, sive in uno agente valde denso, sive in multis quantumcumque applicatis, non sufficere ut intendat in alio similem formam ultra illum gradum quem talis forma habet in agente. Haec est communior sententia, quam tenet Paulus Venetus, in Sum. de Gener., c. 23; Albertus de Saxonia, I de Generat., q. 15; et Astudillo, q. 21; et optime Victoria, in relect. de Augmento charitatis.

24. Ratio a priori est iam tacta, quia agens actione sua intendit assimilare sibi passum, quo fine consecuto, cessat eius actio; sed si passum factum est simile in forma et gradu, iam est perfecte simile; igitur non ultra progreditur actio. Nec dici potest nondum esse perfectam similitudinem factam, quia passum non est assecutum tantam formae multitudinem quanta est in agente: tum quia multitudo vel paucitas formae non pertinet ad rationem ipsius formae seu qualitatis, sed provenit ex subiecto seu quantitate, et ideo illa non est dissimilitudo in forma, sed inaequalitas in quantitate; unum enim album non dicetur dissimile duobus albis, quia non est plura sicut illa, sed dicetur inaequale; per actionem autem non intenditur talis aequalitas, sed similitudo in forma. Tum etiam quia talis similitudo vel potius aequalitas est impossibilis, supposita capacitate subiecti rari aut densi, seu, quod idem est, supposito quod passum sit unum et agentia plura. Neque etiam est verum eam inaequalitatem compensari posse maiori intensione, tum quia sunt quantitates seu perfectiones diversarum rationum, tum etiam quia potius per illam maiorem intensionem fieret nova dissimilitudo in gradu, manente eadem inaequalitate in multitudine formae.

25. Secunda ratio est quia in forma remissa, quantumvis multiplicata in multis ac differentibus subiectis, aut in multis partibus eiusdem subiecti, non est virtus sufficiens ad efficiendam maiorem intensionem in simili forma; ergo. Patet antecedens, quia imprimis non est ibi formaliter talis virtus, cum non sit formaliter talis intensio in ea forma. Suppono enim intensionem non esse aggregationem plurium similium graduum in eadem parte subiecti, sed proprium et per se augmentum eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti, quod augmentum, verbi gratia, ut octo non esset, etiamsi duo calores ut quatuor in eadem parte subiecti ponerentur, de quo inferius suo loco dicam; haec ergo perfectio multo minus esse potest formaliter in multitudine formae remissae existente in multis subiectis vel partibus subiecti. Neque etiam est ibi eminenter, cum illa forma secundum speciem sit eiusdem rationis, secundum gradum autem sit inferioris rationis in singulis partibus subiecti, et consequenter in omnibus etiam simul sumptis. Nam in multis rebus eiusdem rationis non est eminentior virtus quam in singulis, cum eminentia virtutis postulet formam seu naturam superioris rationis. Neque etiam potest dici esse virtualiter illa intensio in illa forma ob multitudinem eius, quia continentia virtualis, ut ab eminentiali distinguitur, solum tribuitur virtuti instrumentariae; non potest autem hoc modo attribui illa intensio multitudini formae inferioris intensionis et eiusdem rationis, tum quia talis forma, dum agit sibi similem, non tam se gerit ut instrumentum quam ut proprium principium agendi, ut supra dictum est, tum etiam quia non potest signari principale agens. in cuius virtute dicatur efficere illum effectum; immo illa multitudo formae per se non est instituta ut sit instrumentum alicuius actionis, sed est quasi aggregatio quaedam instrumentorum eiusdem rationis.

26. *Absurda ex opposita sententia*.— Tertio argumentor ab incommodis, quia ex opposita sententia sequitur primo tres res calidas ut quatuor posse se efficere ad invicem summe calidas, si duae simul iunctae intendant calorem tertiae usque ad quintum gradum, et illa rursus alias reddat sibi similes, et ita procedant usque ad summum. Secundo similiter sequitur aquam calidam ut quatuor secundum omnem partem posse se reddere calidiorem in quocumque gradu; nam duae partes extremae, verbi gratia, efficient in intermedia et intendent eius calorem, et illa rursus efficiet in partes extremas, et sic procedet actio usque ad summum. Haec tamen et similia sunt plane falsa et contra experientiam. Tertio sequitur per actus remissos intendi habitum, ita ut ad intensiorem actum inclinet, quod etiam est falsum, ut suppono.

27. Ut respondeamus fundamento contrariae sententiae, advertendum est primo. aliud esse virtutem agendi crescere ex multitudine formae, aliud crescere quoad vim

producendi effectum perfectiorem intensive; illud enim generalius est, et ex illo non recte colligunt hoc posterius auctores illius sententiae. Augetur ergo illo modo virtus agendi non intensive, sed extensive, et ideo non augetur ut possit intensiorem effectum producere quam sit ipsa forma quae est ratio agendi, sed ut suum adaequatum effectum facilius, velocius, fortius, et ad maiorem distantiam, caeteris paribus, possit efficere. Unde dici potest augeri quoad modum faciendi, non quoad rem quam potest facere. Et similiter, quando multitudini formae adiungitur densitas partium subiecti, multum iuvat ad hunc modum actionis, quia tota illa multitudo formae melius applicatur passo, et ideo conducit ad promptiorem actionem; non tamen potest se sola conducere ad meliorem effectum quam in virtute formae contineatur, quia illa applicatio solum est conditio quae per se non conducit ad agendum, nisi supposita virtute.

28. Secundo est observandum sermonem esse de multitudine formae, quae omnino aequalis est in essentia et gradu formae passi; nam si contingat qualitatem agentis esse quoad essentiam et speciem alterius rationis ab ea quae fit in passo, et eminenter continere illam, quamvis in suo ordine esset remissa, potest esse principium efficiendi inferiorem qualitatem in suis gradibus intensam, ut in superioribus tactum est; nam illa superior qualitas in quocumque gradu ratione suae essentiae posset eminenter continere totam latitudinem inferioris qualitatis. Neque tunc simile ageret in simile, etiamsi qualitas, verbi gratia, ut unum, qualitatem ut unum intenderet, quia essent diversarum rationum, et illa potius esset quaedam proportio quam propria similitudo. Deinde contingere etiam potest ut multitudo formae conducat ad intensiorem effectum, quando effectus non adaequat intensionem formae agentis; ut, verbi gratia, quando una lucerna illuminat aerem, non producit in illo tam intensum lumen quam in se habet, et ideo recte fieri potest ut duae lucernae simul sumptae et inter se aequalis intensionis, lumen intensius in aere producant quam quaelibet per se posset; tunc enim cessant rationes factae, quia passum nunquam est factum perfecte simile agenti; cum ergo in agente non solum sit maior multitudo formae, sed etiam intensior forma, potest in eo esse virtus ad intendendum effectum. Unde in quolibet illorum agentium per se erit forma productiva totius illius intensionis; quod autem unum agens per se solum totam illam non produceret provenire poterat vel ex indispositione passi, vel ex distantia vel ex alia simili causa. Et tunc multitudo formae intensae optime conferre potest ad intensiorem effectum producendum, qui tamen non excedat intensionem causae.

29. *Duo similia seu inaequalia agentia, an se mutuo iuvent in actionem.*— Maior difficultas est, si concurrerent simul duo agentia inaequaliter intensa, an possent se iuvare ad producendum intensiorem effectum, qui licet non excedat absolute totam intensiorem causae, excedat tamen intensionem alterius partialis agentis habentis formam minus intensam, ita ut licet qualitas remissa, quantacumque in multitudine sit, per se non possit qualitatem sibi similem in gradu intendere, tamen cum consortio intensioris qualitatis possit ad intensionem iuvare et cooperari. Tunc enim videntur etiam cessare rationes factae; nam in tali agente totali est absolute intensior forma et virtus sufficiens ad illum effectum, et inferiores gradus qualitatis coniuncti superioribus possunt concurrere ad quoscumque gradus alterius qualitatis similis; ut, verbi gratia, quando calidum ut octo intendit calorem ut quatuor, non tantum concurrit ad quintum gradum, verbi gratia, per quintum sui caloris vel per superiores, sed per totum suum calorem; sicut e contrario, quando facit primum gradum non id efficit per primum, sed per totum suum calorem. Cuius signum est quia ad efficiendum primum vel quintum gradum maiorem vim habet calidum ut octo quam calidum ut quinque vel ut unum, caeteris paribus, nam et maiorem resistentiam vincet et velocius aget; ergo signum est non agere solum per gradum similem et caeteros se habere concomitanter et quasi per accidens ad illam actionem, sed revera ad illam concurrere. Et ratio est, quia, ut omnes iuvent et concurrant, satis est quod in omnibus et singulis sit essentia caloris, quamvis non sit in singulis gradibus illa peculiaris similitudo quae est inter gradus eiusdem omnino rationis; satis enim est quod illa similitudo sit in tota forma, quae est principium agendi. Sic igitur etiam plures formae remissae, coniunctae intensiori, poterunt concurrere cum illa ad

intensiorem effectum producendum. Est ergo hoc probabile, nec rationes factae ita contra illud militant, ut facile ex dictis patet, et potest conferre ad salvandas aliquas experientias, ut in superioribus tactum est et statim etiam videbimus.

30. Non tamen omni difficultate caret; nam si forma remissa, coniuncta intensiori, agit ad intensionem sibi similis, cur non potius aget ad intensionem suiipsius? Item, quia alias calidum ut octo, aeque vicinum duobus calidis ut quatuor, cum uno et per illud ageret ad intensionem alterius, et e converso. Posset tamen responderi ex peculiari dispositione passi aut partialis agentis provenire ut unum partiale agens remissum magis cooperetur intensiori agenti ad intendendam similem formam in alio subiecto quam in se, vel quam aliud simile, ut ex dicendis facilius constabit. Est ergo hoc probabile, de quo plura inferius.

31. *Ferrum candens qualiter ignem generet.*— Ex his ergo satis est expeditum fundamentum contrariae sententiae. Ad primam vero experientiam a nobis allatam de ferro candenti, communis omnium philosophorum consensus et responsio est in eo esse aliquem ignem inclusum in poris, quamvis nos lateat; a quo igne in candentis ferri poris incluso provenit illa maior intensio quam sensibus facile experimur, quamvis vehementia et celeritas actionis proveniat ex consortio ferri et densitate illius. Signum autem, quod ibi sit aliquis ignis inclusus et contentus (ut modo diximus) in poris ferri, sumi potest ex fulgore qui ab igne semper provenit, ut dixit Plato in Timaeo. Item hoc ipsum ostendi potest ratione neutiquam comtemnenda, quia ferrum non est sine poris, in quibus solet esset aer; ergo cum calefactio vehemens intercesserit, versus erit in ignem vi et efficacia calefactionis tam intensae ac vehementis. Ac denique, nunquam fit tam vehemens calefactio in aliqua materia aut subiecto talis calefactionis capaci quin aliquae exhalationes ab ea secernantur et inflammentur seu in ignem vertantur. Alii respondent longe alia ratione, esse nimirum in ferro summum calorem qui esse potest, et hoc sine forma ignis propter alias dispositiones repugnantes igni et conservantes ibi formam ferri. Sed difficile creditu est illas dispositiones quae in ferro tamquam in subiecto sibi proportionato et connaturali connaturaliter existunt, non impedire etiam tantam intensionem caloris, cum etiam repugnent ex natura rei. Aliam responsionem supra ego insinuavi, quod in materia sicca et disposita potest generari ignis absque praevia calefactione summa, quod potest facile defendi, et eo posito non sequitur esse in ferro summum calorem. Prima vero responsio sufficiens est.

32. *Actus remissi an augeant habitum.*— Ad experientiam de actibus remissis adductam respondetur potius probare oppositum, quia iuxta communem sententiam non intendunt aut augent habitum; quamvis hoc longiorem expositionem requirat, quam suo loco magis ex professo trademus. Ad aliam de guttis cadentibus respondetur singulas aliquid agere, quia paulatim disponunt subiectum, quod reddunt aliquantulum mollius alias si subiectum maneret aeque indispositum, nihil plus agere posset secunda quam prima, nec centesima quam tertia; quaelibet tamen agit in passum dissimile; nam ex se, verbi gratia, erat siccum, et in principio humectari incipit iuxta proportionem et virtutem guttae cadentis; quia vero posteriores inveniunt passum magis dispositum, plus agunt, nulla tamen agit ultra propriam intensionem et virtutem. Ad tertiam de gelu regatur imprimis aerem plus frigefacere aquam quam ipse sit frigidus, sed ad summum potest impedire omnino ne ab extrinseco agente calefiat, et tunc ipsa aqua se reducit ad summam frigiditatem quam natura sua potest habere. Quod si illa frigiditas sufficit ad congelationem, iam non provenit ab aere; si vero non sufficit (ut revera videtur non sufficere, alias aqua in suo naturali statu existens semper esset congelata), etiam tunc quaerenda erit alia causa illius congelationis praeter aerem, quia aer solum dicebatur infrigidare. Existimo autem congelationem provenire ex diminutione humiditatis aquae, atque adeo ex aliqua influentia caelesti exsiccante; nam illa siccitas sic affecta et attemperata cum tali densitate et frigiditate materiae congelationem perficit; nulla ergo qualitas ibi intervenit quae a remissiori qualitate eiusdem rationis intendatur.

*De actione reflexa*

33. Altera dubitatio in eodem argumento petita est de actione reflexa, in qua fatentur aliqui formam remissam posse intendere seipsam, nedum sibi similem. Quam sententiam ita

absolute et universaliter sumptam supra reiicimus, et iterum statim aliquid contra illam addemus. Alii dicunt per reflexionem multiplicari radios solares, verbi gratia, circa eamdem partem medii, nam quia ex se possent (inquiunt) ulterius pertransire, maiorem sphaeram obtinentes, ideo cum corpori occurrunt quod eorum diffusionem impedit, ad idem passum a quo reverberantur redeunt, et ita fit reflexio. Sed nisi haec dicantur per metaphoram, plane sunt falsa et rationi aperte contraria; nam finguntur esse radii corpuscula quaedam quae a sole oriantur, quod de omni agente fuit placitum Democriti, ab Aristotele et omnibus philosophis reiectum, ut generatim notavit D. Thomas, I, q. 115, a. 1, et specialiter de lumine, q. 67, a. 2.

34. *Explicandae quaestionis primus modus improbatur*.— Duobus ergo modis intelligi potest actionem in medium esse intensiorem propter reflexionem. Primo, quia dum agens principale in minori sphaera operatur, intensius agit in partibus eius quam si actio eius ad maiorem sphaeram diffunderetur; quod principium per se quidem apparet probabile, nam virtus finita, ad plura applicata, minor est in singulis; ergo e converso, collecta ad pauciora, fortius aget in singulis; ergo etiam aget intensius, intra latitudinem tamen suae virtutis et intensionis. Sic igitur ignis calefaciens hanc aulam, cum posset multo maiorem sphaeram simul calefacere, quia tamen actio eius intra cancellos aulae detinetur, intensiorem calorem facit in hoc aere quam alias faceret, et idem proportionaliter est de sole illuminante. Quamvis autem tunc dicitur intensio esse maior propter reflexionem, tamen revera illa reflexio sic exposita, ex parte corporis in quo fit, solum est impedimentum ne actio ulterius progrediatur. Ex parte autem principalis agentis est efficacior actio maiorque suae virtutis applicatio.

35. Sed hic modus explicandi reflexionem, et actionem per illam, quamvis in eo quod affirmat probabilis sit, non tamen solus sufficit, ut videtur, ad salvandum omne id quod experientia ostendit in huiusmodi reflexione. Primo quidem, quia si corpus in quo fit reflexio solum deserviret ut diffusionis impedimentum, ratione cuius virtus primi agentis quasi unita ad minorem sphaeram fortius in illam agit, quodlibet corpus obiectum in eodem puncto et aeque impediens extensionem sphaerae, aequalem faceret reflexionem, nam aequalem omnino occasionem praeberet primo agenti ut fortius intenderet actionem suam et vires suas (ut ita dicam) duplicaret; consequens autem est aperte contra experientiam; nam res nigra, verbi gratia, caeteris paribus, non facit aequalem reflexionem lucis ac res alba; nec res alba facit aequalem ac speculum. Secundo, quia si reflexio illo tantum modo fieret, aequa proportione id deberet fieri per totam sphaeram; nam illa fortior actio vel applicatio virtutis aequa proportione ad totam illam fit. Consequens autem est contra manifestam experientiam, nam fortior reflexio fit in partibus propinquioribus corpori a quo fit reflexio, ut per se satis constat.

36. *Corpus quod reflectit actionem vere agit in illud contra quod reflectit*.— Quocirca dicendum necessario videtur in hac dicta reflexione intervenire propriam efficientiam illius corporis in quo fit reflexio; illud enim recipit a primo agente formam seu qualitatem activam, et illa affectum iterum agit in passum sibi proximum, quod est ipsum medium per quod prima actio agentis usque ad illud corpus devenit. Et ideo illa prima actio agentis vocatur directa, altera vero vocatur reflexa. Hic autem modus non aliter probatur quam ex sufficienti enumeratione, et quia per se est probabilis et nullam involvit repugnantiam, quia saepe accidit ut una res per formam extrinsecus receptam iterum agat, sicut aqua calida per calorem. Non tamen caret suis difficultatibus; nam imprimis interrogari potest, cum medium eamdem qualitatem recipit a primo agente, cur non ipsum potius agat in aliud, a quo dicitur fieri reflexio, quam ab illo patiatur. Respondetur id provenire ex peculiari dispositione vel conditione talis corporis et qualitatis; nam lumen, verbi gratia, non videtur per se activum nisi in corpore denso ac terso recipiatur; vel saltem non est aeque activum, ut experientia docet; ideo enim luna illuminata a sole plus illuminat quam aliae partes caeli, quia ita est lucida ut sit etiam densa. Quoniam ergo reflexio luminis semper fit in corpore denso ad medium rarum, ideo potius est illa actio a tali corpore quam ab alio. Simile quid

reperitur in reflexione caloris; communiter enim fit a corpore densiori, quod fortius agit, ut supra dictum est, propter multitudinem materiae.

37. *Dubio satisfit*.— Sed tunc oritur secunda difficultas, quia hinc sequitur vel primum agens intensius calefacere aut illuminare rem distantem quam propinquam, propter dispositionem eius, aut rem illam distantem in qua fit reflexio intendere similem qualitatem in medio solum ob maiorem multitudinem materiae, cum tamen in illo sit vel minus intensa vel ad summum aequaliter; utrumque autem repugnat dictis in superioribus. Hoc est argumentum quo moventur maxime qui dicunt in actione reflexa simile in gradu intendi a simili, vel idem a seipso. Sed hoc partim impugnatum est supra, et praeterea potest facile refutari, quia actio reflexa vera actio est et non potest feri sine sufficienti virtute nihilque habet speciale nisi denominationem, quia flectitur versus agens, a quo directe recipitur forma, a qua est actio reflexa. Et ideo posset quis respondere hanc reflexionem nunquam fieri nisi vel per qualitatem diversae rationis vel adiuvante aliqua simili qualitate; ut, verbi gratia, cum speculum per lumen calefacit actione reflexa, tunc dicitur reflexio fieri per qualitatem diversae rationis, et cessat facile difficultas tacta, ut supra dictum est; quia, licet lumen non sit intensius in speculo quam in aere, potest intensius calefacere, quia est qualitas superioris rationis, et aliunde iuvatur densitate subiecti et multitudine formae magis applicatae. At vero cum fit reflexio inter ipsamet lumina, non habet locum dicta responsio, et ideo tunc non deerit qui neget esse in re talem actionem reflexam qua lumen medii maius reddatur, sed ita apparere, quia corpus illud tersum aut album vehementius movet visum. Sed hoc non apparet credibile, quia experimur ipsum aerem clarius lucere cum fit reflexio, et obiecta in eo posita melius videri. Dici etiam posset non intendi lumen in medio, sed novum fieri a corpore per reflexionem; neque esse inconveniens duo lumina esse simul in eadem parte aeris. Sicut quando fit reflexio in speculo, probabile est novam speciem visibilem eiusdem obiecti causari in medio per reflexionem. Sed haec multiplicatio luminum, licet perspectivis placeat, a philosophis non est recepta, neque est consentanea iis quae supra dicta sunt de individuatione accidentium. Et ideo dici aliter potest lumen receptum in corpore denso esse diversae rationis ab illo quod recipitur in aere, quod difficile creditu est. Aut etiam dici posset iuvari ab aliqua qualitate subiecti; sed haec omnia et alia quae facile excogitari possunt, sine fundamento affirmarentur ad fugiendam potius difficultatem quam expediendam illam.

38. Quocirca necessario videtur admittendum aliquod ex dictis consequentibus, dummodo non intelligatur qualitas remissa, aut se sola intendere sibi similem, sed in virtute et cum consortio principalis agentis; hoc enim esse probabile in superioribus declaratum est. Si ergo dicamus solem, verbi gratia, ob maiorem subiecti capacitatem, intensius illuminare speculum distans quam aerem medium, coadiuvante ipso medio ut instrumento vel partiali agente, tunc facile est intelligere speculum sic illuminatum iterum agere in aerem sibi vicinum et intendere lumen; neque enim est inconveniens ut in eadem qualitate quidam gradus fiant ab uno agente et alii ab alio, quando agunt diversis actionibus et non aeque primo, sed cum aliquo ordine, ut hic contingit. Si vero dicamus in actione directa non illuminari intensius speculum remotum quam aerem medium, sic dicendum est, eo quod speculum est aptius ad agendum per lumen receptum quam aer, statim ac illuminatur coniungi virtualiter primo agenti et iuvare illud ac iuvari ab illo ad intendendum lumen aeris. Atque ita possunt hi duo modi dicendi probabiliter defendi, quamvis, omnibus pensatis, inter hos duos modos prior videatur facilior meliusque declarare actionem reflexam et difficultates vitare.

*De reactione*

39. In quarto argumento petitur difficultas de reactione et quomodo in illa salvetur maior proportio necessaria ad causalitatem effectivam. Sed haec difficultas latissime tractatur in I lib. de Gener., et pendet maxime ex intelligentia differentiae quae est inter potentiam agendi et resistendi, quam nos infra trademus tractando de potentia. Nunc ergo breviter dicitur resistere alicui formaliter non esse agere in illud; potest enim res interdum resistere, etiamsi nihil agat in aliud. Ex quo fit ut ad agendum non sit necessarium vim

agendi unius esse maiorem vi agendi alterius, sed per se solum requiri ut actio unius superet resistentiam alterius. Hinc ergo fieri ut passum reagat in suum agens, etiamsi ab illo vehementius patiatur, quia, licet superetur in activitate, nihilominus potest activitate sua aliquantulum superare resistentiam alterius, et ita non agit in illud quatenus maius vel aequale est ipsi, sed quatenus aliquo modo est inferius. Sed haec intelligentur melius, explicatis rationibus potentiae activae et resistitivae, et proportionibus earum, quod infra praestabimus. Ultimum argumentum superius solutum est.

## *SECTIO X*

## *UTRUM ACTIO SIT PROPRIA RATIO CAUSANDI EFFICIENTIS CAUSAE, SEU CAUSALITAS EIUS*

1. Declaravimus principia et conditiones necessarias causae efficienti ut sit proxime apta ad causandum; superest ut explicemus quid sit illud quo formaliter constituitur actu causans; illud enim nos vocamus proximam rationem causandi, seu causalitatem uniuscuiusque causae. Et, ut saepe dixi, non est sermo de relatione causae quae resultare dicitur effectu iam producto; quia manifestum est illam non esse causalitatem, cum potius supponat causalitatem tamquam rationem in qua fundatur. Est ergo sermo de causalitate prout, nostro modo intelligendi, dicit proximam rationem fundandi relationem; illa enim ratio est quae constituit et denominat causam in actu, prout dicitur esse prior natura suo effectu.

### *Aliquorum opiniones*

2. Difficultas vero est an haec causalitas sit ipsamet actio qua agens agit, an vero sit aliquid aliud praeter actionem; nonnulli enim thomistae negant causalitatem agentis esse actionem ipsam, ut Soncinas, V Metaph., q. 4, et Iavell., q. etiam 4, qui refert Hervaeum, Quodl. II, q. 1, et Quodl. IV, q. 8. Fundamentum esse potest quia causalitas agentis aliud esse debet ab effectu agentis; nam causalitas non causatur, sed per illam causatur effectus; actio autem est effectus agentis; ergo non est causalitas eius: Probatur minor, tum quia actio nihil aliud in re est quam effectus ut manat ab agente; tum etiam quia ipsa actio, etiam formaliter sumpta, oritur ab agente et a virtute eius; ergo ipsa etiam est effectus agentis et indiget causalitate qua causetur. Secundo, quia transacta actione adhuc manet vera causa efficiens; nam sol, postquam produxit aurum, est causa efficiens eius, et verum est dicere aurum pendere a sole ut ab efficiente, et tamen actio non durat.

3. Quod si interroges ab his auctoribus quae sit ratio causandi huius causae, nihil aliud respondent nisi causalitatem efficientis esse dare esse effectui. Quia vero haec verba communia etiam sunt aliis causis, praesertim formae, addunt explicationem, scilicet, quod sit dare efficiendo seu quod sit efficere seu producere. In quo dupliciter deficere videntur: primo, quia idem per idem dicunt; secundo, quia vel inviti recidunt in opinionem quam reprobant; quid enim est efficere nisi agere?; a quo autem res denominatur agere nisi ab actione? Ergo perinde est dicere causalitatem efficientis causae consistere in ipso agere ac consistere in actione, nisi quod his posterioribus verbis formalius declaratur, non solum per ipsum concretum seu per denominationem agentis, quae eadem est cum denominatione causae efficientis in actu, sed per abstractum et per formam denominantem.

4. *Secunda*.— Alii ergo, ut a praedicta sententia omnino recedant, dicunt causalitatem agentis non posse esse aliquid extra agens, sed debere esse modum intrinsecum ipsi agenti; nam in aliis causis causalitas uniuscuiusque est modus eius intrinsece illam efficiens; ergo idem erit in causa efficienti; actio autem proprie dicta, ut talis est, non est modus agentis, sed aliquid extra ipsum agens. Et confirmatur, nam huiusmodi actio, quae sit in effectu, non intervenit in omni causalitate effectiva, ut patet in creatione, et tamen ibi est vera causa efficiens; ergo causalitas efficientis ut sic non consistit in actione, sed in aliquo intrinseco ipsi agenti, quidquid illud sit. Confirmatur secundo, quia una causa efficiens respectu unius effectus adaequati unam habet causalitatem, et tamen saepe non habet unam, sed plures actiones, ut ignis una causalitate generat ignem sibi similem, et tamen ibi

intervenit actio qua transmutat materiam, et alia qua facit formam, et alia qua unit illam, et alia qua producit totum compositum; hae namque actiones omnes in generatione hominis distingui possunt, et videtur eadem esse ratio de reliquis; nam ipsamet distinctio habitudinum et relationum indicat distinctionem actionum.

*Resolutio quaestionis*

5. *Efficientis causalitas ipsa actio.*— Dicendum nihilominus est causalitatem efficientis causae in nullo posse alio consistere quam in actione. Hanc sententiam docent his temporibus moderni scriptores doctissimi, et significatur a D. Thoma, V Metaph., c. 2, in illis verbis: *Efficiens est causa finis quantum ad esse, quia movendo perducit ad hoc quod sit finis*; et inferius: *Efficiens est causa in quantum agit*. Idem sentit Albert., II Phys., tract. 2, c. 6. Et probatur, nam id est causalitas causae agentis quod illam constituit vel potius denominat actu agentem; sed hoc est actio, nihilque aliud esse potest; ergo. Maior constat ex ipsa quaestionis expositione supra tradita et ex ipsas terminis, quia causa in ratione causae causalitate constituitur; idem autem est esse causam efficientem in actu quod esse agens. Minor ex terminis videtur etiam clara, quia per illud constituitur causa actu agens quod immediate intelligitur adiungi ultra potentiam agendi; nam causa dum intelligitur habere tantum potentiam agendi, non intelligitur actu agens; ergo debet esse aliquid ultra hanc potentiam per se ac necessario requisitum intra latitudinem huius causae; hoc autem non est nisi actio ipsa, qua sublata intelligi non potest potentia ut actu agens, et illa posita necessario est actu agens; propter quod dixit Aristoteles relationem agentis proxime fundari in actione, V Metaph., c. 14; ergo illa est propria causalitas agentis.

6. Secundo, quia causalitas uniuscuiusque causae est id quo proxime per se ac intrinsece attingit effectum et quo, e converso, effectus pendet a tali causa; est enim causalitas quasi via seu tendentia ad effectum. Unde inter causam et effectum quasi inter duos terminos versatur, quia per causalitatem causa influit in effectum et effectus procedit a causa. Sed actio est id quo causa efficiens actualiter attingit suum effectum et quo effectus pendet a sua causa; nam est ipsamet dependentia effectus facti a causa faciente, ut statim significabimus et latius tractabimus infra disputando de actione; ergo.

7. Tertio a sufficienti enumeratione, quia ad hanc causalitatem necessaria est actio, et praeter illam nihil aliud necessarium est, immo nec probabiliter excogitari potest; ergo. Maiorem suppono ut certam, maxime in. praesenti materia, ubi de causis creatis agimus; solum enim de creatione dubitari posset, sed nunc de illa non agimus, quamquam etiam in illa verum habeat, ut infra ostendemus. Minor constabit clare ex solutionibus argumentorum oppositae sententiae; nunc breviter declaratur hoc modo, quia si aliquid aliud mediat inter potentiam agendi et actionem quod sit causalitas agentis, vel illud est praevium ad actionem et aliquo modo radix eius, vel subsequens ad actionem et ex illa resultans, vel aliquid concomitanter se habens; nihil horum probabiliter dici potest. Probatur primum membrum; nam quidquid est previum ad actionem non pertinet ad actualem causalitatem efficientis, sed vel ad rationem causandi per modum principii quo aut quod, vel ad conditionem requisitam ad agendum; cuius signum est quia si sistatur in toto illo praevio et ad illud non sequatur actio, nondum intelligitur causa actualiter causare, sive id fiat per praecisionem intellectus, sive quia in re suspendatur actio, positis omnibus aliis praerequisitis, sive id supernaturaliter fiat, sive ex libertate causae; statim vero ac intelligitur actio in re poni, impossibile est quin causa actu causet. Secundum membrum contrario modo facile suadetur; nam quidquid consequitur ad actionem, est vel terminus eius vel aliquid posterius termino; ergo multo minus pertinere potest ad causalitatem primae causae quam ipsa actio; nam ille est proprie effectus, vel primarius vel secundarius, talis causae. Tertium item membrum facile probatur, quia si solum concomitanter se habet, ergo est per accidens ad actionem; ergo illo secluso manere potest actio; ergo illo etiam secluso manebit causalitas agentis; ergo non potest in illo consistere haec causalitas. Eo vel maxime quod intelligi aut declarari non potest quid sit illud distinctum ab actione et a principiis eius, et omnibus conditionibus praeviis ad illam, quod nihilominus sit necessarium ad illam. Neque huius necessitatis potest aliqua probabilis ratio reddi. Relinquitur ergo ut sola actio esse possit causalitas agentis.

*Solvuntur argumenta obiecta in contrarium*

8. *Actio an appellari queat effectus agentis.— Actio non fit per aliam actionem.— Agens in actu constituitur per actionem in actu.—* Ad fundamentum ergo prioris sententiae respondetur actionem proprie ac formaliter non esse ipsum effectum productum ab agente, sed esse modum talis effectus ex natura rei ab illo distinctum; cuius argumentum sufficiens est quod potest manere effectus sine tali modo aut variata dependentia, quod idem est. Est enim ille modus emanatio seu dependentia effectus a causa, agente; potest autem effectus nunc dependere ab hac causa et postea ab alia, et ita potest variari in illo dependentia circa eumdem effectum, et tunc nihil aliud variatur quam causalitas agentis, de qua distinctione actionis a termino nonnulla in superioribus tetigimus, et dicemus plura in sequentibus, partim tractando de creatione, partim inferius tractando de actione et passione. Quod si nomine effectus comprehendamus non solum rem productam, sed quidquid a virtute agentis manat, sic concedimus actionem esse aliquo modo effectum agentis, cum sit dependens vel potius ipsamet dependentia ab illo, esse autem effectum hoc lato modo non repugnat causalitati; quin potius in omnibus causis quas hactenus tractavimus, causalitas est effectus causae; unio enim est effectus formae atque etiam materiae in suo genere, et est causalitas utriusque secundum diversas habitudines. Et ratio generalis est quia causalitas semper provenit a causa; et ideo, licet non propter se causetur, concausatur tamen, ideoque late loquendo sub effectu comprehenditur. Nec vero propterea necesse est ut causalitas alia causalitate causetur, aut actio alia actione fiat, quia de ratione causalitatis est ut habeat immediatam habitudinem ad causam et sit quasi medium aut vinculum inter causam et effectum. Atque ita comparatur actio ad suum terminum et ad principium seu causam efficientem a qua manat; ipsa vero actio non manat media alia actione, alias procederetur in infinitum, sed actio est ipsamet emanatio; sicut terminus motus fit per motum; ipse autem motus non fit per alium motum, quia est ipsamet via ad terminum. Ex quo fit (ut ad secundum argumentum respondeamus) impossibile esse ut cessante vel transacta actione duret causa in actu; potest quidem durare res quae fuit causa in actu, non tamen durabit in ratione actu causantis, cum actu non influat in effectum; unde nec talis effectus potest vere dici iam actu pendere a tali causa, sed dependisse aliquando in suo fieri, quam dependentiam non habuit nisi ratione actionis, quae tunc etiam fuit quando a sua causa manavit.

9. *Causalitas agentis non est modus agenti intrinsecus.—* Ad argumenta posteriori loco posita, negamus causalitatem agentis debere aut posse esse modum intrinsecum ipsius agentis, distinctum ab actione quae ab agente manat et est in termino ipso vel. in passo. Quod in naturalibus agentibus quae agunt sola actione transeunte videtur manifestum, quia illa non mutantur neque aliquid adquirunt ex eo quod agant. Neque est ulla necessitas fingendi talem modum, cum actio sit sufficiens ut effectus manet a. suo agente. In his vero quae agunt actione immanenti, si nihil aliud agant quam ipsummet actum immanentem, etiam est manifestum in facultate agente non esse alium intrinsecum modum distinctum ab ipso actu vel actione immanenti qui sit causalitas talis actus; nam ipsamet actio immanens immediate manat a suo principio, et quidquid aliud addatur tamquam medium inter potentiam in actu primo sufficienter constitutam et actionem, erit gratis confictum et sine necessitate, et praeter omnem communem doctrinam, quae in his potentiis non cognoscit nisi aut actus ipsos seu actiones et principia earum, quae sunt vel species vel habitus. Et in voluntate nihil est actuale in quo primo exerceatur libertas voluntatis nisi actio elicita ab ipsa voluntate; illa ergo est causalitas effectiva talis potentiae. Quia tamen res quae fit per talem actionem manet in ipsa potentia, ideo talis actio est modus afficiens causam agentem, non quia hoc sit de ratione causalitatis agentis ut sic. In iis denique quae per actum immanentem aliquid extra se agunt videri potest causalitatem qua talis causa extra se agit esse actum vel motum in illa manentem; tamen revera non est, quia ille actus qui manet in tali causa non est formalis causalitas, quae constituit rem actu causantem extra se, sed est aut proximum principium agendi, aut applicatio principii proximi, a quo oritur causalitas. Quod videre licet in Deo ipso, qui maxime agit ad extra per actum in se manentem; nam cum hic actus in Deo sit aeternus et immutabilis, actualis tamen eius causalitas in tempore ponitur, quia Deus non actu causat donec effectus fiat, et ideo talis causalitas non potest esse aliquid in ipso Deo, qui

mutari non potest, sed in creatura, quae fit aut mutatur. Nunquam ergo causalitas agentis est modus intrinsece afficiens ipsum agens ut sic.

10. Nec vere necesse est ut in hoc sit omnimoda similitudo inter omnes causas, quia non est omnium eadem ratio; causae enim materiales et formales sunt intrinsecae; causa vero efficiens ex suo genere est extrinseca. Et comparando inter se materiam et formam, haec est quodammodo magis intrinseca, quatenus est magis propria et determinans materiam afficiendo illam. Et ideo inter causalitates harum causarum est quaedam proportionalis dissimilitudo. Nam causalitas formae est modus intrinsecus et in re idem cum forma; causalitas autem materiae potest dici intrinseca quatenus est intime in ipsa materia, non est autem modos ita identificatus sicut formae; causalitas autem agentis per se est extrinseca et tam distincta ab agente quam ipse effectus; quod si interdum in agente manet aut ab eo non realiter sed tantum modaliter distinguitur, id est accidentarium ad rationem agentis ut sic provenitque vel ex eo quod agens simul est patiens, vel ex eo quod res quae fit non est omnino distincta ab agente, sed modus eius.

11. Ad primam confirmationem negatur assumptum; nam etiam in creatione causalitas consistit in actione, ut argumentum paulo antea factum ostendit, nam cum illa causalitas temporalis sit, non potest consistere in modo intrinseco agenti; ergo debet consistere in actione extrinseca; qualis autem sit illa actio et in quo subiecto, dicemus postea.

12. Ad secundam confirmationem respondetur argumentum illud retorqueri posse in contrarium; nam ubicumque est una causa formaliter, id est, una causatio, ibi est una actio, et e contrario, ubi multiplicantur actiones, multiplicantur etiam causalitates; signum ergo est hanc causalitatem in actione consistere. Quocirca, si generatio ignis sumatur ut includit alterationem praecedentem et generationem substantialem, fatemur quidem illas esse duas actiones; tamen eadem modo sunt duae causalitates; si vero sit sermo de sola causalitate substantiae, negamus ibi esse plures actiones, sed est una et eadem qua et fit totum compositum et educitur forma de potentia materiae et unitur illi; nam in his omnibus solum denotantur plures habitudines quas eadem actio habet ad suum subiectum vel ad terminum formalem aut totalem; in generatione autem hominis peculiari ratione distinguitur actio productiva formae ab unitiva (quidquid aliqui dicant), quia illa forma non pendet a materia ut a propria causa suae productionis, pendet tamen in unione; actio autem, qua forma unitur et compositum fit, non est distincta, quia compositum non potest aliter fieri quam uniendo formam materiae[16].

## *SECTIO XI*

### *UTRUM CAUSA EFFICIENS ALIQUID EFFICIENDO CORRUMPAT AUT DESTRUAT, ET QUOMODO*

1. Si nomen ipsum causae efficientis attente consideretur, non videtur significare causam quae tollit esse, sed quae dat esse, et ideo in omnibus quae hactenus de hac causa diximus solum explicuimus causalitatem huius causae quatenus dat seu influit esse; quia vero philosophi ita communiter loquuntur de causa efficienti ut non solum censeant efficere rerum generationes, sed etiam corruptiones, quod non est dare esse, sed potius tollere, ideo ad complementum huius disputationis necesse est ut de hac etiam re pauca dicamus et explicemus an haec etiam vera efficientia sit, et qua causalitate ac virtute fiat.

2. *Varii modi res destruendi*.— Advertendum est ergo dupliciter posse rem aliquam corrumpi seu desinere esse: primo, quia non esse unius rei consequitur ex esse alterius. Secundo, quia res absolute privatur suo esse quasi immediate et absque consecutione ex alio esse. Priori modo corrumpitur lignum quando ex illo generatur ignis, quia esse ligni non potest simul esse in eodem cum esse ignis. Posteriori autem modo corrumpitur lumen in aere per absentiam solis; nullum enim esse introducitur in aere repugnans cum esse lucidi, sed simpliciter perit illa forma, recedente causa conservante. Quamquam etiam ipsum esse solis in alio hemisphaerio dici potest naturaliter incompossibile cum esse luminis in aere huius

[16] Lege Scotum, VII Metaph., q. 10; et Ant. Andr., q. 4; et Soncin., q. 23; et Zimar. Theorem 100; et Duramd, In II, dist. 1, q. ult. Cf. BHF, v. III, p. 299.

hemisphaerii; sed illud est valde remote, extrinsece et per accidens, propter defectum conditionis necessariae ad agendum et non propter repugnantiam quae intrinsece et per se sit inter lumen et *Ubi*.

*Resolutio quaestionis*

3. *Actione positiva nunquam directe destruitur.*— Hoc supposito, duo principia videntur certa: primum est corruptionem ac desitionem rei nunquam fieri per efficientiam positivam et propriam, nisi quatenus carentia alicuius esse consequitur ad effectionem seu positionem alterius esse. Probatur, quia positiva efficientia solum fit per positivam actionem; actio autem positiva immediate ac per se non tendit ad non esse; ergo non potest per illam positive effici corruptio aut destructio alicuius rei, nisi quatenus per illam fit esse alicuius rei, cum quo necessario coniunctam est non esse alterius. Maior probata est sectione praecedenti, et ex ipsis terminis idem constat; nam efficientia et actio idem sunt, sicut efficiens et agens. Minor probatur, tum quia actio realis seu positiva (idem enim sunt) necessario tendit ad terminum realem, ut infra suo loco ostendetur, et in transeuntibus a nemine negatur; terminus autem realis aliquod reale esse recipit per actionem; ideo enim est terminus eius. Unde etiam qui negant realem terminum in actionibus immanentibus, negare non possunt quin ipsamet actio, quatenus positive fit, aliquod esse reale accipiat a sua causa efficienti. Quod si per illam actionem aliquid immediate corrumpitur (id est, absque alterius termini vel rei productione), solum est in quantum esse illius actionis, quodcumque illud sit, incompossibile est cum alio esse quod destruitur. Est ergo in universum verum per efficientiam positivam nihil immediate destrui, sed solum consequenter ad aliud esse quod per actionem fit; quae consecutio semper fundatur in aliqua repugnantia talium rerum. Et confirmatur ex illo vulgari axiomate, quod nullum agens, intendens ad malum, operatur; ipsum autem non esse ut sic habet rationem mali; nunquam ergo positiva efficientia per se tendit ad non esse, sed ad aliquod esse ex quo aliud non esse consequitur.

4. *Obiectio dissolvitur.*— Dices, quamvis hoc sit verum in agentibus naturalibus, non tamen in voluntariis; potest enim Deus velle aliquid non esse, non ut aliud sit, sed solum ut illud non sit, et unus homo saepe hoc modo intendit alterius mortem, unde in artificialibus per se primo tendit saepe actio ad destructionem. Respondetur, licet agens voluntarium per se possit intendere destructionem rei, non tamen posse illam exsequi et efficere per actionem quae ex se primario tendat ad non esse, propter rationem superius tactam. Unde etiam Deus ipse, dum aliquam rem vult destruere, aut id obtinebit per solam suspensionem influxus absque positiva actione, vel si positiva actione uti velit, necessario facturus est aliquid ex quo talis corruptio sequatur. Homo autem, qui non potest rem destruere per solam suspensionem influxus, eo quod res ab ipso non pendent in suo esse, utitur semper actionibus quae communiter non sunt nisi mutationes locales corporum, quae ad suos proprios terminos directe ac per se tendunt, et inde per accidens sequitur corruptio vel destructio, quae licet sit per se intenta quoad extrinsecam intentionem agentis, per accidens tamen seu consequenter fit per talem actionem.

5. *Destructio rei, directe intenta, fit per carentiam efficientiae.— Explicatur axioma aristotelicum.*— Secundum principium est: quando alicuius rei desitio non consequitur ad positivam effectionem alterius, sed per se sola fit, non fit per efficientiam propriam, sed per carentiam efficientiae. Hoc principium sequitur ex praecedenti, quia actio positiva non est nisi ad aliquod esse positivum; ergo, dum nullum esse communicatur, non potest actio positiva intervenire; in hoc autem genere desitionis et corruptionis nullum esse communicatur, sed solum aufertur; ergo non potest fieri per veram actionem; ergo necessario fieri debet per carentiam actionis, quia non potest intervenire alius modus causalitatis qui ad efficientem causam pertineat. Dices hoc genus causae tantum videri per accidens, qualis est illa quae removet causam per se; at vero huiusmodi causa corruptionis non tantum est per accidens, sed per se; ergo non tantum est per absentiam causae, sed per propriam efficientiam. Minor patet, tum ex Aristotele dicente quod, sicut praesentia nautae est causa conservationis navis, ita absentiam esse causam submersionis eius; tum etiam quia non potest ille effectus in causam magis propriam ac per se revocari. Et in hoc fundari videtur

illud commune axioma: *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis*, quod in causis propriis per se et adaequatis maxime notum est. Respondetur ex hoc ipso axiomate colligi causam per se corruptionis (si tamen aliquam habere potest) non esse quaerendam positive agentem, sed non agentem potius, cum causa debeat esse proportionata effectui. Unde in illo etiam exemplo Aristotelis absentia nautae non est causa agens, sed potius non agens. Quare, si ad submersionem navis comparetur quatenus quidam effectus positivus est, solum est causa per accidens eius, vere ac physice rem considerando, licet moraliter et imputative censeatur per se, si tenebatur adesse; si vero comparetur solum ad carentiam auxilii seu defensionis navis, huius negationis poterit altera negatio dici causa per se; habent enim inter se proportionem et intrinsecam ac immediatam consecutionem. Ad hunc ergo modum, si causa per se influebat esse et influxum auferat, dicetur causa per se desitionis talis esse, non quia positiva actione efficiat desitionem, sed quia proportionata  nodo est proprium principium et origo talis desitionis. Unde, sicut privatio dicitur esse non per positivum esse, sed per carentiam esse, ita dicitur fieri non per positivam actionem, sed per carentiam actionis. Et eadem proportione causa efficiens per se eius non dicitur talis quia positive illam efficiat, sed quia tollit influxum quo per se causabat illud esse quod per talem corruptionem destruitur. Quin potius, omnis causa quae positive efficiendo destruit aliud ut sic seu quatenus efficiens est, non est causa per se, sed per accidens, destructionis alterius.

*Corollaria superioris doctrinae*

6. *In quavis rei destructione mutatio reperitur, non in quavis actione*.— Ex his principiis possumus nonnulla notatu digna inferre circa rerum mutationes vel corruptiones. Primo enim sequitur in omni corruptione seu amissione alicuius esse realis intervenire aliquam mutationem, non vero semper necessario intervenire aliquam actionem. Patet ex secundo principio posito, adiuncta definitione mutationis. Nam, teste Aristotele, mutatur res quando se res aliter habet quam prius; quando ergo aer ex illuminato fit tenebrosus, mutatur; fit igitur in eo aliqua mutatio; et tamen illa non fit per actionem, ut constat ex secundo principio posito; est ergo ibi mutatio sine actione, et idem est in omnibus similibus. Ratio autem est quia illa mutatio est pure privativa, non positiva. Quo fit ut hoc tantum contingat in mutationibus accidentalibus, si proprie et secundum communem cursum naturae de mutatione loquamur, quia subiectum accidentis potest interdum amittere illud, etiamsi aliud non acquirat; subiectum autem substantialis formae non potest substantialiter mutari amittendo unam formam quin acquirat aliam. Et ideo dixi *proprie et secundum communem cursum naturae de mutatione loquendo*. Nam Deus posset suspendere influxum formae substantialis conservando materiam; vel si mutationis nomen ad annihilationem extendatur, posset omnino rem mutare ab esse ad non esse absque ulla actione. In quo est etiam notanda differentia inter causas liberas et naturales, quod causae liberae possunt suspendere suum influxum ex intrinseco dominio ac potestate absque ulla priori actione vel mutatione in se vel in alio; et ita etiam possunt causare hanc mutationem privativam, vel in seipsis, si mutabiles ipsae sint, ut causae creatae, vel in aliis, ut Deus; causae autem naturaliter agentes non possunt suspendere suum influxum nisi aliquid aliud prius mutetur quod erat necessarium ad agendum; et ideo licet interdum mutent aliquod subiectum praedicto modo sine actione circa illud, semper tamen intervenit aliqua alia actio, vel circa idem subiectum vel circa aliud, ut sol non destruit lumen in aere per abstractionem influxus nisi antecedat actio qua vel sol ipse movetur, vel fenestra clauditur, etc.

7. *Actio secundario tendens in destructionem semper est dependens a subiecto.— Annihilatio nequit esse ex subiecto*.— Secundo sequitur ex dictis quoties corruptio vel desitio rei fit per actionem positivam quae ex se habeat consequenter causare talem corruptionem, necessarium esse ut talis actio fiat ex praesupposito subiecto. Ratio est quia corruptio aut desitio non fit ex vi actionis physicae (sic enim loquimur), nisi quia illud esse quod fit per talem actionem habet naturalem repugnantiam cum esse quod destruitur: haec autem repugnantia naturalis esse non potest nisi in ordine ad idem commune subiectum, quod maneat sub utroque termino, quia inter res per se subsistentes et nullum habentes ordinem ad subiectum non potest esse naturalis repugnantia, ob quam in rerum natura simul esse non possint; ergo necesse est ut talis actio sit ex praesupposito. Et hinc est ut propria annihilatio

fieri non possit a Deo per positivam actionem, quia annihilatio nihil rei relinquit quod possit esse subiectum actionis. Item, quia vel actio fit in subiecto, et sic non destruit illud, et consequenter non efficit annihilationem, vel fit sine subiecto, et sic nihil per illam fieri potest quod repugnet toti esse alterius rei; nihil ergo per talem actionem potest annihilari. Quod si quis obiiciat actionem qua fit anima rationalis non esse ex subiecto, et tamen ad eam sequi corruptionem alterius, nempe embryonis, respondetur negando minorem, sed proprie illa corruptio sequitur vel ex actione qua sufficienter disponitur materia ad introductionem animae rationalis, vel ex actione qua ipsa anima unitur corpori, vel ex utraque in suo genere, ut infra explicabitur; utraque autem ex his actionibus est ex praesupposito subiecto; creatio vero solum est ordine naturae praesupposita ad actionem unitivam, consequens autem naturaliter ad actionem dispositivam. Difficilius posset quis instare de illa actione qua panis convertitur in corpus Christi, quae non est actio ex praesupposito subiecto, et tamen ex vi illius desinit esse substantia panis. Sed haec difficultas altior est quam ut hoc loco tractari possit, et ideo ad illam excludendam dixi sermonem esse de actione et desitione naturali; illud autem mysterium totum supernaturale est. In eo tamen nihilominus verum existimo, aut ibi non consequi desitionem panis ex vi solius actionis physicae[17] et naturalis connexionis rerum; vel si aliqua talis actio ibi interveniat, illam versari aliquo modo circa subiectum, et quantitatem panis, sine substantia conservata, vicem talis subiecti subire, ut latius in proprio loco disputavi.

8. *Illatum tertium*.— Tertio infero, quotiescumque corruptio aut desitio fit per positivam actionem, intervenire ibi unam simplicem actionem, duas autem partiales mutationes, positivam unam, alteram privativam. Tribus enim modis contingit aliquid mutari, ut Aristoteles proponit in V Phys. Primo, ex aliqua forma in carentiam eius; et tunc fit mutatio, nulla vero intervenit actio, per se loquendo, ut dictum est, sed carentia actionis conservativae. Secundo fit mutatio ex pura privatione in formam, ut ex tenebroso in lucidum; tunc sicut una intervenit actio, ita etiam una simplex mutatio positiva. Tertio contingit aliquid mutari ex una forma in aliam, ut cum ex calido fit frigidum, et ex ligno ignis. Et tunc una simplex intervenit actio qua educitur vel unitur forma quae de novo introducitur in tali subiecto; nam ad expellendam aliam nulla alia actio necessaria est, ut diximus; mutatio vero duplex fit; nam subiectum illud duplici titulo aliter se habet, scilicet et carendo forma quam antea habebat, et eam habendo quam antea non habebat. Quae duae mutationes adeo distinctae sunt ut reipsa interdum separentur, ut in primis duobus membris declaratum est. Item una, est generatio, altera est corruptio substantialis vel accidentalis, vel interdum una est intensio et altera remissio. Denique una est positiva, altera privativa. Unde, quantum inter se differunt unius formae informatio et alterius privatio, tantum inter se differunt illae mutationes. Possunt autem illae mutationes partiales dici quia physico modo componunt unum integrum transitum ab uno termino positivo in alium, qui in philosophia appellatur conversio unius rei in aliam. Dices: sicut intervenit ibi mutatio positiva et privativa, ita intervenit actio positiva et carentia actionis qua opposita forma conservabatur, vel a causis naturalibus vel saltem a Deo; alterum enim horum semper necessarium est; ergo est eadem ratio de actione et mutatione. Respondetur solum esse discrimen quod ratio mutationis salvatur in nova privatione quatenus est in fieri; ratio vero actionis minime, sed requirit positivum influxum; quod ex earum definitionibus et essentialibus rationibus constat.

9. Quarto infertur corruptionem quae per aliquam efficientiam fit, per eadem principia, sive principalia sive instrumentalia, et cum eisdem conditionibus fieri quibus fit generatio vel productio ad quam talis corruptio sequitur. Probatur ex dictis, quia non est alia efficientia neque alia actio ad corruptionem quam ad productionem; ergo per eadem principia quibus fit unum esse tollitur aliud. Nec potest aliquod principium positive concurrere ad tollendum esse nisi quatenus concurrit ad dandum aliud esse. Ex quo in superioribus dicebamus contra nonnullos modernos formam in passo introductam ab agente non concurrere effective ad expellendam oppositam formam, ut calorem ad expellendam frigiditatem, et sic de aliis, quia forma introducta in passo non est principium efficiens suae

[17] "-cae et naturalis connexionis, vel si" lineae male positae in ed. BHF, v. III, p. 305. (Castellote).

generationis; ergo nec corruptionis oppositae formae. Item, quia si illa efficientia est positiva, aliquid positivum per eam fit; sed forma introducta in passo positive nil efficit quo expellat aliam formam, sed immediate sequitur expulsio alterius formae; ergo.

10. *Unum corpus qualiter aliud loco pellat*.— Unde non est simile quod adduci solet de uno corpore expellente aliud ab eodem loco, quod effective videtur illud expellere; quamquam enim Scotus, In IV, dist. 12, q. 3, hoc etiam negare videatur, re tamen vera non est similis causa. Nam duo corpora sese contingunt et unum pellit aliud; et quod expellitur non amittit locum per meram desitionem, sed per realem mutationem et tendentiam in alium locum, ad quem effective movetur ab expellente corpore; et ideo non solum ibi intervenit incompossibilitas formalis illorum corporum in eodem spatio, sed etiam specialis actio positiva qua corpus, ab uno loco pulsum, in alium transfertur, quae distincta est ab ea qua aliud corpus in locum alterius introducitur. Secus vero est quando forma introducta in uno subiecto expellit aliam, nam illa quae expellitur non mutatur positive, sed mere privative desinit esse; et ideo non potest ibi specialis efficientia intervenire. Est ergo ibi sola expulsio formalis, et in universum quaelibet causa in suo genere ita concurrit ad non esse unius termini, sicut concurrit ad esse alterius; quia ergo calor introductus in subiecto non calefacit illud active, sed formaliter tantum, ideo non expellit frigus active, sed formaliter tantum. Secus vero est de calore qui est in generante; ille enim est principium efficiens alium calorem, et consequenter expellens oppositum frigus. Atque eadem proportione calor productus in ligno (et idem est de omni simili dispositione), licet accidentalem formam directe oppositam excludat tantum formaliter, substantiam vero ipsam corrumpit dispositive, quia hoc modo causat introductionem oppositae formae, et, ut dictum est, in eo genere causae una forma concurrit ad non esse unius termini in quo concurrit ad esse oppositi termini. Unde, quia accidens ex propria ratione et virtute sua habet disponere ad formam substantialem sibi connaturalem et formaliter expellere contrariam dispositionem, ideo dici potest in hoc genere propria vi corrumpere substantiam. Quod si accidentia illa et dispositiones passi effective etiam concurrunt ad eductionem suae formae, eodem efficientiae genere concurrunt ad corruptionem alterius; vel si ad illud prius non habent efficientiam, neque etiam ad hoc posterius. Atque ita in universum verum est illa tantum esse principia efficientia corruptionem quae efficiunt generationem quando corruptio per efficientiam fit; nam quando accidit per solam carentiam efficientiae non indiget proprio principio agendi, sed solum necesse est ut illud quod erat principium agendi vel conservandi rem ab agendo cesset.